Pſal.86.5.

Geneſ. Quapropter interdùm in Scriptura dicitur: *Homo & homo.* Pſalm. 86. 5. & Ezechiel. 14. 4. quippe eſt homo interior & exterior, phyſicus & moralis. Licèt huiuſmodi geminationes delicentur & aptè per Epizeuſim, vel per Meriſmum, ut dixi in *Prolog. Galeat.* §. 4. num. 3. 7.

Plato. *Homo biforme animal.* Cicer. Rom. *Interioris, & exterioris hominis deſcriptio.*

In homine eſt duplex homo. Haudquaquàm quoniam duas formas habet, ut profert Plat. in *Phedro*; ſed quia materialis & ſpiritalis eſt. Unde dicitur *Biforme animal.* Qua cauſa? diximus *Tautolog.* 4. in *Expoſit. liter.* num. 44. & dicam. *Tautolog.* 6. num. 17. & 22. Vide plura ratiocinia in hoc ſyntagma apud Stoicos. Epictet. *Diſſert.* lib. 1. Seneca paſsim: idcircò Cicero lib. 1. *Tuſcul. Quæſt. Te noſce,* (inquit) *nec hoc corpori tuo dico. Noſce te, hoc dicit, Noſce animum tuum: nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te.* Homo exterior moraliter, eſt homo obediens carnis illecebris; & interior, ſubditus legi rationis. Proin Paulus ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Phyſicè, ſeu naturaliter homo exterior eſt homo corporalis, viſibilis, tangibilis, paſsibilis: interior autem, anima forma hominis, mente inviſibili conſtans. Brevius: Homo interior eſt ratio, exterior ſenſus. Alapide adi ſubtiliter duplicem hominem definientem ſignato dudùm teſtimonio ad *Rom.* & ad *Epheſ.* cap. 3. v. 16. Caietan. cum Auguſtin. lib. 8. *Confeſ.* maximè cap. 11. De quo intento Myſtici crebrò.

Coloſ. 3. 5. V. Bed. *Cur carnis opera, hominis dicantur membra?* Geneſ.

25 Hominem quidem interiorem alludens Paulus ad Coloſ. 3. ait: *Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* Ideſt, quandiu vixeritis, mortificate vos: ita ut in militia carnis & ſpiritus, iaceat caro, ne ſit in arma iniquitatis, ſed meditanter conteratur, quaſi Satanas, ſub pedibus veſtris velociter. Ne ergo his rebellibus paſsionibus, & affectibus detis locum maligno. *Membra noſtra* (dicit N. Vener. Beda in *Comm. in Luc.* cap. 5.) *ſunt quædam opera, quæ improbat.* Unde Apoſtolus illicèt inſit: *Fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, avaritiam, quæ eſt ſimulachrorum ſervitus.* Quæ quidem dicuntur opera carnis. Quomodò autem dicantur *Membra*? dicemus preſsè. *Membra veſtra*, ſcilicèt, concupiſcentiam, quæ reſidet in membris veſtris: vel affectus pravos, effrænes concupiſcentiæ motus, qui ſunt membra veteris hominis, quem illos iubet expoliari. Sanè ſi mortificanda ſunt membra, erunt ſuper terram, quippè non mortua. Quid igitùr intendit Paulus addens: *Quæ ſunt ſuper terram?* Quod ſuprà dixi: q.d. Quandiù vixeritis, tota vità; quoniam ad mortem uſque igniculus vivit. Vita in Scriptura hac voce exprimitur, ſicut contrariâ mors. Ita dicitur *Geneſ.* 42. 32. *Unus non eſt ſuper.* Ideſt, mortuus eſt.

Interfici, pro vulnerari. Ezech. 9. 6. Ierem. 18. 21. Iſai. 26. 14. Apoc. 2. 23. *Mors pro vulnere lethali.* Macrob. Iuſtin.

26 Modò ad alia teſtimonia. Homo exterior, ſeu corpus in homine moritur, vel externè, vel internè. Interna dicitur mors naturalis. Externa, quæ violenter infertur: quæ quia varijs modis uſuvenit, multifariàm in Scriptura ſignatur. Modi etiam loquendi extricandi ſunt, ut lector in cæſpite Tautologiarum haud lubricet. Plerunque *Interficere* ſumitur pro *Sauciare*, ſeu *vulnerare. Interficite uſque ad internecionem*, quod Ezech. 9. ideſt, Percutite. *Viri eorum interficiantur morte.* Ierem. 18. ideſt, multis plagis vulnerentur uſque ad animæ agonem, & non aliter expleant mortalitatem. *Morientes non vivant.* Iſai. 26. Hoc eſt, vulnerati non vivant. Sic illud Apoc. 2. *Filios eius interficiam in morte*: Nimirum, vulnerabo in mortem. Ita legunt Bibl. Antiq. & Haye hic in *Maxim.* Ab Interpretibus iſtiuſmodi ſtylus interdùm uſurpatur. Maluenda ad prætatum Ieremiæ teſtimonium, *Interficiantur morte*; legit. *Percuſſi in occiſione.* Et Chald. *In manus occidentium gladio.* Profani etiam utuntur geminatione, haud in aliam ſignificationem. *Romanos quotieſcunque poſtriduanis diebus arma capeſſerent, occidione occiſos eſſe*: ait Macrob. lib. 1. *Saturn.* cap. 16. Eadem Iuſtinus lib. 2. & 22. *Occidione occiſos*: ſcilicet, vehementer vulneratos, ad occiſionem uſque.

Pſal. 103. 29. 35. *Mortuus dicitur moribundus.* 4. Reg. 20. 1.

27 Minimè ægrotantium morte morientur: ſed *Deficient peccatores à terra, & iniqui, ita ut non ſint*: igitur non dimidiabunt dies ſuos, quin etiam plagâ magnâ complebunt miſeri, & cadavera eſca erunt volatilibus cœli. *Auferet Deus ſpiritum eorum, & deficient.* Per Hiſteron. proteron. Ideſt, deficient, quia auferet ſpiritum eorum. De quo Nos latè. *Tom. 2. Tautol. 2. & 9.* Deficient, vel fame, vel gladio, vel veneno: uti dicitur *Apoc.* 6. v. 8. Haudquaquàm deficientes morientur, ſicut Iuſti: *Geneſ.* 25. 8. ſed deficient morientes repetità animà, & arrepto ſpiritu, quandoquidem non habebunt plenitudinem dierum. Ita quidem morbus lethalis vocatur mors 4. Reg. 20. v. 1. *Ægrotavit* (dicitur) *Ezechias uſque ad mortem.* Haye hìc, & Iſai. 38. v. 1. *Mortuus eſt.* Aptè, quia brevi moriturus. Apud Nos pertritus etiam modus loquendi: de moribundo dicimus: *Ya eſtà muerto, ya eſta hecho*

cho tierra, yà eſtà cadaver. Unde quia morbus lethalis erat ex ſe, dicitur illi: *Morieris tu, & non vives.* Iteratum interdum in Scriptura, ita ut idem valeat, ac *Morte morieris*: reverà, ſanequàm, vel profectò morieris. Infirmitas utique ad mortem eſt. Aſtipulatur lectio Benedicti Ar. Mont. *Ægrotavit ad moriendum.* Et Chald. *Non vives ex morbo tuo.* Per epitaſim inculcatur geminatio, ut eventus firmiſsimè denotetur. Ut Thren. 4. *Appropinquavit finis noſter: completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter.* Ideſt, certè finiemur. Sic Gaſp. Sanctius hic. Palilogicè ergo etiam apud Profanos finis inevitabilis exaggeratur eiuſdem geminatione vocis, vel æquipollentis. Virgil. lib. 3. *Æneid.* v. 554. — Ar. Mon. Chald. Thren. 4. 18.

Hæc finis Priami fatorum. — Virgil.

Et Perſius *Satyr.* 1. v. 62.

Sed finem, extremumque eſſe recuſo. — Perſ.
Euge tuum, & velle.

Ubi Theodorus Marcilius: *Stoicè multinominum, ſive multis nominibus inſigne facit Telos,* (Grece) *ideſt finem.* Unde Cato lib. 3. de *Finib.* dixit *Sentis enim credo, me iam diu, quod Telos Græcus dicat, id dicere tùm extremum, tùm ultimum, tùm ſummum.* In ſenſu tropologico, vel myſtico commodior teſtimoniorum expoſitio, videnda ſeqq. Didaſcalijs. Hæc in literali modò placet. Attamen & placidè audiam, ſi fortè quid aptius exit. — Theod. Marc. Cato.

Varietas lectionis.

28 *Morte morieris*: Ita cum Vulgata legunt Chaldæa, & Tigurina. Ex Patribus Auguſtinus, Ambroſius, Procopius, & alij. *Morte moriemini* (ſiquidem Evæ etiam interdictum lignum) Septuag. Anaſtaſ. Sinaita, Baſilius & Chryſoſtom. *Moriendo morieris*, Arias Montan. Caiet. & Lipoman. *Mortalis eris.* Simmach. & Hieronym. *Mori morieris*, Maluend. *Mereberis mori*, Arabic. *Moriens morieris*, Lyra. *Eris reus mortis*, Rab. Ionathas. Ergo ad Tropologiam, ut mori diſcamus.

ADINATON EXEGETICUM.

Epilog. Excurſ.

1. *Morte morieris*, quia neſcies quando.
2. *Morte morieris.* Mors mortis iudicium eſt ignorabis & quale.
3. *Morte morieris*, quippe peccabis.
4. *Morte morieris.* Proh dolor! Et in vita, quod durius.
5. *Morte morieris*, ſi in morte moreris.
6. *Morte morieris*; quoniam miſerrime vives.
7. *Morte morieris*; & vivificaberis morte.
8. *Morte morieris*, qui vivere poteras immortalis.
9. *Morte morieris* in vita, ſiquidem exul à patria.
10. *Morte morieris* & morieris ſine morte.
11. *Morte morieris.* Felix culpa! Inſtrumento quo moreris, vitam invenies.
12. *Morte morieris*: aliquando mors vitalis.
13. *Morte morieris.* Verùm erit mors mors mortis.
14. *Morieris mori.* Morieris proculdubio, ni moriaris.
15. *Morieris mori*, quia ad pœnam, alij morientes morientur ad vitam.
16. *Morieris mori* Morieris homo: at vel in morte nequaquàm morietur Virgo.
17. *Morieris mori.* Hem! Morieris homo. Papæ! Refiorebit caro.
18. *Mortalis eris*, patiens: verùm patieris, quaſi non patiaris.
19. *Mortalis eris*: At paſsione videberis immortalis.
20. *Mortalis eris*, corpore: ſed gloria mortis apparebit in carne.
21. *Mereberis mori.* Non morieris, quia merebaris: cæterum graviùs non moriendo morieris.
22. *Mereberis mori.* Confitere, ne moriaris.

DIDASCALIA PRIMA.

Maximum vivendi impedimentum eſt expectatio.

Senec. Pſalm. 54. 5.

1 AUrea Senecæ ſententia, cap. 1. de *Brev. vitæ.* Hanc, quam timemus mortem, extremam eſſe, non ſolam. Ante mortem igitur multoties amittimus vitam. *Formido mortis cecidit ſuper me*, dixit Pſalmographus conturbatus in exercitatione ſua, & afflictus intimè dolorum graviſsimà pœnà. Levis utique videtur cauſa timoris, & tremoris, ex cogitatione formidinis. Formido oritur ex morte, non ex imagine. Ita quidem: & nequaquàm David timet mortem, ſed formidinem: quippe plus aggra-

Metus mortis morte gravior.

vat animum mors formidinis, quàm formido mortis. Ratio prompta. Mors extremum malum eſt, & etiam extremum malorum: minuſque formidatur, quod eſt extremum: igitur in formidine dolores mortis incipiunt ac in morte tormenta formidinis conſummantur.

Occurrunt animo pereundi mille figuræ:
Morſque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Ovid.

Ut ait Ovidius in *Heroid. epiſt.* Ariadnes. Icircò pro *Formido*, vertit concinnè Lorinus hìc, *Gigas*. Millæ figuræ pereundi comprimunt corda, dolor gravis, lurida pœna: at ſi cruciatuum fiat, vel cum morte collatio; de genere giganteo micat formido.

Lorin.

2 In inferno mors immortalis, & nihilominùs à Iobo tantummodò dicitur *Umbra mortis*. Obumbrare ſatagit in tenebroſa regione tetricum barathrum, ac inter tormenta, & cruciamina ſummum: nullatenuſque mortem appellat mortem, ſed duntaxàt mortis imaginem; quoniam diriùs punguntur corda formidine, quàm ipſa morte: igitur in morte, mortis finem nanciſcuntur, & in formidine expectant, & non inveniunt. Vide Ariſtotel. lib. 3. *Ethic.* cap. 9. M. Tull. Cicer. *Epiſt.* 6. & Iuſt. Lipſ. de *Conſtantia* lib. 1. cap. 7. Expectatio obex eſt vitæ, haud impedimentum eſt tantummodò in morte: quandoquidem dum mortis irruit formido, animæ perpetiuntur, quæ patiuntur in inferno.

Iob. 10. 22.

Cur mors dicitur umbra mortis?

Inferior infernus deſcribitur à Davide. *Eruiſti* (ait) *animam meam ex inferno inferiori*. Ergo eſt infernus ſuperior. Utique. Premunt pectora mortalia ſuſpenſionis ſupplicij peracuta cruciamenta: & dum vita ſpiritus verſatur in talibus, ſuſtinetur infernus in ſuperioribus: equidem deſcendunt in infernum viventes, ſeipſos ante mortem ſpiritus ſuffocantes. *Infernus domus mea eſt*, dicit Iob: ſed quare? *Si ſuſtinuero*. Nimirum, *Si ſpero, vel expecto*: uti pulchris teſtimonijs probat, & aſtruit Doctiſsim. Sanctius hic. Sepulchrum patulum videtur: & infernus dicitur, ubi mors non venit, ſed expectatur; ſiquidem haud habet, quo explicet cruciamina addicta formidini, niſi ſumpta imagine ex doloribus inferni.

Pſal. 85. 13.

Iob. 17. 15.

Expectatio mortis confertur inferno.

3 Minatur Deus Adamo mortem præſentaneam, modò prætereat ligni vetiti legem præſcriptam. *In quocumque enim die comederis, morte morieris.* Quid eſt hoc? *Morte morieris.* Non ſat, *Morieris*, ſed etiam *Morte*? Quiſnam moritur ſine morte, aut quis in morte non moritur, ut propter audaciam tranſgreſsionis, delinquenti dicatur, *Morte morieris*? Pronam. Moritur homo, dum exuitur vitâ. Hæc eſt mors: & eſt mors alia, acrior ipſa morte, nimirùm, auræ incertitudo vitalis: ac dicitur Adamo, *Morte morieris*; & quia morieris abſdubio, & neſcies quando morieris. *Hodie morietur Adonias*, decrevit Salomon. Firmitas ſententiæ verbis exprimitur. Cur ergò minimè profert, *Morte morietur*? Signat tempus, ultra quod vitam non protrahet, & in quo profectò ſuccumbet: atque vindicat à morte durioris mortis, cui de diſpendio nunciat vitalitatis.

Gen. 2. 17

Mortis incertitudo intimior pœna.

3. Reg. 2. 24.

4 Annunciat aſſeclis Servator N. quæ ventura ſunt in temporibus noviſsimis, & etiam mortem illorum, quorum ſanguine rutilabit Evangelium; & ait: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos.* Faxò illi: *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui, & conſumationis ſæculi?* Perpende ly *Quando*. Qualia tormenta ſuſtinenda, qualia cruciamina ſubeunda, ut minùs ferirent iacula ſemel prævita; opus videbatur exquiſitionis. Quid ergo refert ſcire *Quando*, in ſubſidium anxietatis? Plurimum. Acriore dolore ſugillantur corda in ipſa tormentorum cogitatione, quàm in ſpecie: & non *Qualia*, ſed *Quando* inferenda, interrogant, ut vehementiorem ictum doloris fugiant: ſiquidem tormenti qualitas haud pendet ex cognitione cruciaminis, ſed ex ignorantia temporis. Mors temnitur facilè, ſed terror urget. Nihil gravius morte fingitur, etenim in illa extremum amaritudinis perfertur: & etiam additur in morte amariſsima gravior amaritudo; dum ignoratur & *Quando*. Eius ſcientia eſt medela doloris: igitur dolor fortiter ſuſtinetur, ſi cognoſcitur finis: verùm eius ignorantia vehementer præcordia premit; quippequàm doloribus mortis, mors vocatur, & fugit. Morte patitur corpus: ignorantià temporis mortis, pungitur animus. Mors ergo optabilis reſpectu terroris mortis: ac Chriſtum orant diſcipuli, in terribili iactu perturbationum; ut dicat cum tormentis, & *Quando hæc erunt.* Moriamur ictu, non continuo minitatu. *Dic nobis*: aliàs moriemur, antequàm moriamur; quoniam non ex cruciamine, ſed moriemur ex mortis expectatione.

Matth. 24 3.

Acrior dolor ex ignorantia temporis, quam ex qualitate cruciaminis.

Quænam mors mortis?

5 Moleſtiam huiuſmodi tribulationis (cùm de iudicio finali diſſereret) diſcipulis etiam Aſſertor expoſuit: *Areſcentibus hominibus* (dixit) *præ timore, & expectatione.* Ubi ſimul ſpes, & timor? Timoris dolor percipitur, ſiquidem mors inſtabit: at expectationis flagellum? Et hoc maximum. Patietur enim homo cruciamen cogitationis, & cruciamen: primum in timore malorum ingruentium, & ſecundum in expectatione maiorum futurorum. Tribulatio tunc hominum erit magna, qualis non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt. Deſcribere illam Chriſtus intendit; & nequaquàm mortem, ſed timorem, & expectationem deſcribit: igitur inter dira mortis cruciaminum, timor, & expectatio ſummum tormentum.

Luc. 21. 26.

Expectatio mortis, ſummum tormentũ.

6 Ratio ad manum. Timetur mors, expectaturque timoris exitus, dum appropinquat doloribus mortis introitus: atque in ipſa expectatione latet intimum malum; quoniam dolores appropinquaverunt, & ſteterunt. Mors etiam prævalebit in vivos, cùm viderit ſine ſe viventes, mortibus traditos: igitur ſingula momenta expectationis mortis indeclinabilis, erunt hominibus morte viventibus amariſsimæ mortes. Denique: ut ſummum patiantur, dum perferunt alia tormenta, relinquitur etiam pro cruciamine vita: quandoquidem ultimum in anxietate, eſt mori velle, & omninò non poſſe. Montibus dicent: *Cadite ſuper nos*, & non cadent. Ecce ſumma tribulatio. Appropinquabunt homines areſcentes uſque ad portas mortis: & non ingredientur per portas dulciſsimæ amaritudinis; plus ut torqueantur inter mortem, & non mortem. Phlegyas infelix dicitur & iurè, apud Virgilium, lib. 6. *Æneid.* v. 618.

Etiam mori velle & non poſſe.

Luc. 23. 30.

Phlegyaſque miſerrimus.

Virg.

Sedet, æternumque ſedebit ſub immaniſsimo lapide ruinam minitante, ut allidat; & nequaquàm ut optat, allidit, quia nunquàm cadit. Voto videtur profectò cadere, & non opprimit oppreſſum expectatione. Pendulum ſaxum eſt. Libratur in aëre, quod ſuſpicitur, & ſuſcipitur caſurum. Ille ſpectat, ac expectat dolore dolorem, & acerrimum tormentum; ſuſtinens ſine morte mortem miſerrimus omnium: igitur patitur morti, ſpeciem, & cuncti generis; ſub eculeo formidabili expectationis.

Animi plaga morti devotio, & ignorare, quando

7 Tritum igitur illud Damoclis (vel ut placet Cornuto in *Satyr.* 3. Perſ. Democriti Philoſophi aſſentatoris Dioniſij) cui Tyrannus ab illo blanditus de gloria, opibus, ac maieſtate ſuperba; ut frueretur felix fortuna, & ad tempus guſtaret, ſi placeret; iuſſit apponi regiam aureo lecto, pulcherrimo ſtrato, textili ſtragulo, magnifice picto; obſequentibus cunctis ad nutum: ſed è lacunari ſeta equina ſuſpendi acutum, fulgidum gladium, minantem cervicibus aſſumpti ludicri regis, ut experiretur tormentum cogitationis! Perſ. *Satyr.* 3. v. 40.

Cornut.

Vita fortunata diſcriminibus expoſita.

Damoclis pœna.

Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit.

Perſ.

Vividiùs ergo Laurent. Haëchtanus in *Microcoſmo Embl.* 29.

Dulcibus accumbens menſæ, dapibuſque, meroque
Abſtinet, atque cibos ſumere poſſe negat.
Rex hominem invitat fruſtrà, nam pendulus enſis
Impedit: inque caput ne ruat uſque timet.
Tam vehemens mortis timor eſt, urgente periclo:
Rebus in adverſis, omnis orexis abeſt.
Aurea ſceptra, potens ſolum, diademaque Regum.
Quæ placuere priùs, diſplicuiſſe ſolent.

Laurent. Haecht.

Orexis, ideſt appetitus.

Haud movebatur felix infelix horrens caſurum è lacunaribus enſem, & depreſſurum improvisò cervicem. Fugere nequibat: diſcrimen ita premebat; ut anxiaretur ſpiritus, quoties ſetam movebat ſubtilis flatus. Rebatur rumpendam pondere gladij, & tranſadigi: erat pœna productior, quia rebatur; igitur vulnerabatur altiùs ictu diſcriminis, vulnere peracuto cogitationis. Hiſpanicè: *Entre ſi cae, ò no cae.* Quis enim placide vel eſuriens cibum ſumet, cogitans mortem cervicibus imminere? Quis ſe dedet illecebris voluptatis, ubi capiti impendit acutus enſis? Timebit ſanequam unico motu conteri ſetam, & obrui vitam. Aurea ſceptra, aſſentationes, plauſus, opulentia, diademaque regum diſplicebunt certe, noto luminibus ſpiraculi diſcrimine. Vel homo erit inſanus, vel ad gaudia volitantia ſiſtet immotus. Si percitus appetitu extendit ad gaudia brachium, vel ex intuitu fatetur, ignorare periculum. Ideo homines toties præcipites labuntur in mortem, quia neſciunt ſub floribus latere ſerpentem. Reſipiſcerent, ſi decipulam voluptatem cogitarent, & perduellem amiciorem. Summa miſeria eſt morti devotio, & ignorare *Quando*. Summus labor, cogitare poſſe irruere, dum latet, & ignorare, dum irruit.

Haud cum vulnere cogitationis, voluptas in voluptate.

Audacia eſt cogitare poſſe, vel in gaudio mori, & periculis gaudere.

8 Tunditur pro vita fratris extincta, crebris vitæ torſionibus, & per momenta perfidus Cainus, tremore correctus & furiarum ſtimulis agitatus. Tædet illorum animam, qui in via Cain ambulant vivere innocentiam. Haud iudicant ſe florere, dum illos vivere. *Vagus & profugus vitam agit.* Nequaquàm culpæ pœna reſpondet. Qui interfecerit hominem, morte moriatur, lex præſcribit. Moriatur ergo Cainus. Non moriatur, ut moriatur ſæpè, qui meritò obnoxius morti. Mortem ſupplicium iuſtum iudicabat reus in ſcelere cómiſſo, & haberet pro ſola-

Gen. 4. 14

Ut multiplicetur pœna, homicidæ conceditur vita.

ſolatio; ſed Deus iuſtus pro maiori cruciatu conceſsit vitam, ut multoties vel vivens ageret animam.

9 Levamen ſtimulorum, quibus premitur, quærit, dum convictus iudici dicit:
Ibid. v. 15
Omnis qui invenerit me, occidet me. Veniat mors. Erit igitur dulcis, dum torqueor mortis doloribus pro momentis: ſiquidem gravis pœna in laborioſa vita, fugere invocantem, & invocare fugientem. Veniat mors.

Cui mors remedium vita ſupplicium.

Elongabitur maxime ab eo, qui vitam habet tantummodò pro ſupplicio. Elongabitur, ut diu torqueatur, dum vitâ moritur. Moritur homo, quia cedit inevitabili fato. Moritur homo morte, dum illi conceditur, morte perurgente, vivere: at vitam, quam odit iuſtè criminoſo permittitur, ut vitâ morte moriatur: etenim obitus ſuſtinet vel invitus tormentum, antequàm ſorte perveniat ad obitum; & gravetur cruciamine, *Nolle vivere, & non poſſe*: ita, ut in manu mortis plenus ærumna, exagitatus veniat, ſed non perveniat.

10 Placuit Procopio hic, tremorem hunc, quo reperculſus inſtimulabatur Cainus, eſſe ſceleris conſcientiæ teſtimonium,
Procop.
ita ut pugnaret orbis terrarum contra inſenſatum: igitur ſi in cœlum attollebat oculos romphæis ignitis, xiphomachæris ſcintillantibus, minitantes mortem intuebatur Angelos.

Qualis pœna ſicarij Caini?

Si vultum demittebat in terram, paleas leones, ſtipulas ſerpentes, tipulas dracones; atque frutices tigres rebatur, illum devorare conantes: demùm ſi inter cœlum, & terram, ut omnia perſequerentur ignominioſam vitam; tonitrua mugiebant, & fulgura coruſcabant. Nec in veneno, nec in unguibus, nec in gladijs mortem, quam quærebat, inveniebat pro ſolamine, ſed tundebatur effigie. Moriebatur, & non moriebatur, cruciabatur, diſcruciabatur: cruciabatur expectatione, diſcruciabatur ſpecie, ſuccedentibus præſuris; ut etiam interficeretur cuſpide cogitationis.

Cogitatio criminis.

11 Deinde. Cuncta adverſa in ſe videns peroſus vitam, mortis conatibus anniſè pulſabat ianuam. Ecce improbi reprobi exemplum, & iuſtum ſupplicium.

Cainus reproborum exemplar.

Pœnitere quibat, & nolebat: dolus dolorem excitabat, dolor perpetim pungens reſipiſcentiæ admonebat; ut contritione cordis vitam haberet, qui reſpuebat vitam, ac tantis cruciatibus iret ad patrem, qui contriti ſaxò deleret noxam. Noluit: igitur experiens cuncta infeſta, & etiam proſpiciens futura nocviora; malis cor obduravit, & non pœnituit.

Illi venundato gratìs in malum, iniungebatur ſupplicium, quicquid in cœlo ſurſùm, & in terra deorſum. Proh dura obſtinatio cordis, atque catena voluntaria criminis! Trahèris miſer. Si trahèris, traharis in funiculis patris Adam, cuius diſectum pœnitudine cor.

Haud facilè convertitur improbus etſi pateat infernus.

Trahèris in barathrum, quia tràderis in reprobum ſenſum, ut facias ea, quæ non conveniunt, ſed pœnitùs adverſantur. Trahèris, quia dimiſſus in deſideria cordis. Reſipiſce, ne traharis. Fruſtrà monitus: ita eſt enim crimini addictus; ut non reſipiſcat, & aſpiciens clauſum cœlum; & infernum, ut devoret, utcunque patulum.

12 Ad rem. Mortis, ut dixi, circuibat limina, utrùm pateret ingredienti ianua. In cœlo, in terra, & cæteris elementis, ſigna & hoſpitia rimabatur mortis: ac ut magis & magis torqueretur; porta pervia progredienti claudebatur.

Porta pervia mortis clauditur miſeris.

Fatum imminebat vindicans, ut par erat, fratricidium (quia mortis ſciebat miſer immutabile decretum) & non cùm vellet, amiſſurus erat vitam; habens vel ipſam mortem tunc amabilem, infenſam: unde ut acriùs in ipſa morte conatibus tunderetur, etiam fatum immutabile, ne faveret, mutabatur. Credebat herclè morti eſſe crimine obnoxium, cùm in terra intueretur lethale venenum, atque in aëre pendulum gladium. Certa erat, & urgens mors, ſed *Quando* incertum. Patet ſupplicium capitis in vitam propoſitum: angi ſcilicèt, moriens ſine morte, neſciens *Quando*, & gladio pendulo.

Haecht.

——*Nam pendulus enſis*
Impedit, inque caput ne ruat uſque timet
Tam vehemens mortis timor eſt.

Haud morte pro iure pœnas luit, qui perfidus ſtellionatum meditanter commiſit. Anceps ergo ſuffocetur; ut multoties multipliciter moriatur, & quilibet mortis minitatus in vitam ſit validiſsimus ictus. Neutiquàm enſis plagam imponat, aut lethum vulnus impingat, ut ex multiiugibus mortis preſſuris, in unicam vitam ſimul inſurgant multiplices mortes.

Timor timoris eſt pavor mortis, & incertitudinis.

De hoccine cruciamine diximus *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 7. *num.* 5. in illud Pauli 2. *Cor.* 11. v. 23. *In mortibus frequenter.* Hinc claret ſenſus teſtimonij celebris Iſaiæ 8. v. 12. *Timorem eius ne timeatis.* Cui æſtipulatur Davidis, *Pſalm.* 63. v. 2. *A timore inimici eripe animam meam.* Aliam expoſitionem alibi.
Iſai. 8. 12.
Pſal. 63. 2.
Præſentem præiactam quaſi per indicem tango, ut cedat ſtudioſo acumen teſtimoniorum, & in longum minimè protrahatur documentum.

Hu-

Ethnici mortem ſibi plerumque conſciſcebant.

13 Huiuſmodi ſuſpendium animæ ita angit intercapedinibus vitam, ut plurimi maximè ex Ethnicis Cato, Brutus, Faunius (vide Titum Livium, Senecam, & copiam apud Ioannes. Raviſ. Textor. in *Officin.* lib. 2. cap. 98.) ſeipſos ficis confoderent, & vitam cum morte commutarent. Unde lepidè Ovidius *Metamorph.* lib. 7. *Fabul.* 25.

Ovid.

——*Triſtes penetrant ad viſcera morbi.*
Ante ſacros vidi proiecta cadavera poſtes,
Ante ipſas (quo mors foret invidioſior) aras,
Pars animam laqueo claudunt, mortiſque timorem
Morte fugant; ultròque vocant venientia fata.

1. Reg. 31. 4.
Nec inter Paganos ruit Saulus, igitur ſuper gladium ſuum manumiſit vitam, ne anguſtiæ mortis opprimerent lentis cruciaminibus animam. Amariſsimum iudicant, ſi fortè mortem expectant.

Mors optatur in terrore mortis.

Nec novum: nullum igitur acriùs hactenùs excogitatum tormentum. Perſtringit animum incertitudo, & vitam in vita impedit privationis expectatio: quandoquidem ne anguſtiæ tenerent, tenebant anguſtiæ, & plus patiebatur in vivida mortis ſpecie, quàm in mortis acerbiſsimo cruciamine. Id tamen prærogativæ, idque honoris & dignitatis anima obtinet, ut multa per ſe, corpus verò abſque eius vi, & agitatione efficere poſsit nihil. Si diuturnior, vel intenſior, acriorve in rem quampiam, vel de re fiat agitatio; iacet ſubdita ita graviori tormento, ut corpus langueſcat validum, facultate & animæ viribus deſtitutum. Amplius dolet de cogitationis amaritudine, quàm de corporis vulnere, quippe in hoc præſens; in illa & præteritum & futurum pungit, & carpit.

Mors corpus ſauciat, terror animam vulnerat.

Unde ſatis vocibus, dolentes exaggerant pœnam, dicentes, dolores corporis perveniſſe & uſque ad animam. Quid animæ affectus, dum ita torquetur corpus? Ideo ut intolerabile proponitur vulnus: *Tenent me anguſtiæ*, ait. Quid? *Interfice me.*
2. Reg. 1. 9.
Mors erit iucunda, ubi urgent cogitationis intima mala: & Saul intendit omnes perpeti pœnas, haud potens ſuſtinere cogitationis anguſtias. Proin Satyricus ubi ſuprà inquit v. 42.

Perſ.

————————*Imus,*
Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat, & intùs
Palleat infelix.

Matth. 26. 38.
Perpende quid Redemptori debeas, vel quid non? *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem:* dixit Aſſertor. Neutiquàm *Propter mortem*; ſed *uſque ad mortem.* In morte gaudet, uſque ad mortem mœret: & minimè de morte mœſtitiam profert; quippè potiùs quàm morte, morulæ mortis opprimitur anxietate.

Morula mortis amarior mors.

Unde ut innoteſcat, quid propter hominem paſſus; non ſolùm ſuſtinuit mortem, ſed & terrorem urgentem.

14 Haud inaniter Ieremias contuens gladium minacem, quanvis in duriſſimam populi cervicem, exclamat: *Appropinquavit finis noſter: completi ſunt dies noſtri, quia venit finis.*
Thren. 4. 18.
Haud inaniter, quia nequaquàm Tautologicè: maior vis utique poterat ineſſe cruciamini; ſiquidem complentur dies adventu mortis, & nondum eſt finis. Lubricant perſæpè veſtigia in lethiferam pœnam, ac in tormentum recurrit finis ad vitam.

Quomodò non finis in fine?

Altior dolor ingeritur viſceribus, dum mentes lancinantur cogitationibus: igitur vexantur ſpecie tormentorum, & dolentes inclamant: *Quando hæc erunt?* Venit finis noſter, & non venit; quoniam licèt compleantur dies in vita, non venit finis, ut compleantur tormenta.

15 Quænam inquires iacula, inſtrumenta funeris fuiſſe Regis vaſorum templi Dei vindicis, violatoris? Mortis erunt, & non mortis. Non mors futura in Baltaſarem ſagittarum dirigebat acumen: *Sed cogitationes eius conturbabant eum.*
Daniel. 5. 6.
Exprimitur ergo dira torſio, dum non mors ſuffocabat, ſed cogitatio: & ut pateant cunctis acerbiſſima tormenta; duntaxat cogitationis adumbrantur examina: igitur inter angorem cruciaminis, tormentum nimium angor expectationis.

Ut deſcribātur tormenta, cogitationis perpendun tur examina.

Mors impercuſſo pede venit. Vigilate. Si abditur hora mortis, vigilate, quia neſcitis. *Mortem* (ait N. Patriarcha *S. Regul. cap.* 4.) *ante oculos ſuſpectam habere.*
S. Benedict.
Nota *Suſpectam*, ideſt inſidiantem, & perduelem. Etiam ante oculos ſuſpecta eſt. Vel dum blanditur pœnà, pungit à cauda. *Iccircò* (ut obſervat Rupertus in *Geneſ.* lib. 3. cap. 25.) *Voluit Deus diem & horam mortis eſſe incognitam, ut hominem ſemper haberet ſolicitum, ſemperque ſuſpenſum.*

Mors ſuſpecta.
Rupert.

——*Curis acuit mortalia corda*
Nec torpore gravi paſſus ſua regna veterno.

Dixit Quidam: & Ovven. lib. 3. *Epigram.* 68.

Mors incertarum rerum certiſsima, cunctis
Incertum quando.
Ovven.

DI-

DIDASCALIA II

In morte ſit tantò timor acrior, quantò & retributio æterna vicinior.

Greg. Mag.

1 HÆc N. Magnus Papa Gregor. lib. 24. *Moral.* cap. 7. Quoties contemplor futurum articulum, cor intra penetralia pectoris conturbatur. Imminet momentum à quo æternitas. Erit hilaritas? Ante oculos autem cordis & mentis, nihil inane tunc tranſvolat de phantaſmate cogitationis; quia ſubductis è medio omnibus, ſe & quò appropinquat, tantummodò conſiderat anima. Seipſam noſcit multoties gratia defuiſſe, habitam repudiaſſe, graviter deliquiſſe, pauca bona eſſe reſpectu omiſſionis & commiſsionis, minima in comparatione gratiæ auxiliantis, facta etiam negligenter parva bona, & ipſamet bona fraudulenter facta; ſiquidem propter inanis gloriæ teſtimonium, habent gloriam, ſed non apud Deum. Examinabuntur cogitationes mentis, & etiam reliquiæ cogitationis. Appendentur opera: librabuntur verba: quod quidem coram iudice, vel offenſo, potentiſsimo; cuius manus nemo fugere poteſt, cuius oculos nihil latet, cuius iudicium nullus ſubvertit, cuius iuſtitiam nemo corrumpit, conſcientiâ accuſatrice, reâ cogitatione, atque memoria teſte. Creſcit pavor divinæ vicina retributione iuſtitiæ, & urgente carnis ſolutione. Quò magis diſtrictum iudicium proximè tangitur, eò vehementiùs iuris iudicium timetur. Etſi ea, quæ ſcit, nunquàm ſe prætermiſiſſe cognoſcit, formidat nihilominùs, quæ neſcit: quippe urgente exitu, & peccatorum reatu, ſubtiliori terretur ſententiæ metu: *Nihil mihi* (ait Paulus) *conſcius ſum.* Quis nos pavet? *Sed non in hoc iuſtificatus ſum.* Qualis erit delinquentis cogitatio, *Si non iuſtificatur homo compoſitus Deo? Quid ergò facient tabulæ* (ait Gregor. ubi ſupr.) *ſi tremunt columnæ? Quomodò virgulta immobilia ſtabunt, ſi huius pavoris turbine etiam cedri quatiuntur?* Quomodò rectâ videbimus agitatam vento illecebrarum arundinem, ubi coram iudice curvantur, qui portant orbem?

Diſtricti iudicij qualitas?

Greg.

2 Fige igitur Catholicæ cogitationis pedem, ut perpendas perpendens peccatorum examen. Erit ne iudicium atro calculo, vel hunc diem numerabis felix meliore lapillo? Si iniquitates iudex obſervaverit, quis ſuſtinebit? *Nunc* (dices) *dimittis ſervum tuum? Num in pace? Videbunt oculi mei ſalutare tuum?* Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem. Salvus eris: Dices in corde tuo de peccatis: *Non requiret*, propter quod irritabit impius Deum? Nihil conſcientia ſuſpicatur? *Sunt viæ, quæ videntur hominibus rectæ*, & noviſsima illarum ducunt ad mortem. *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet*; ſed iudex iudicabit in iuſtitia, quam minimè abnuet iudicati conſcientia. Potiùs dicas: *Non intres in iudicium cum ſervo tuo*, quia nullus apud te iuſtificabitur homo. *Contra folium, quod vento, rapitur oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris? Dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere tecum* hominem *in iudicium? Si voluero contendere, non potero reſpondere unum pro mille. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam ſine cauſa.* Quantus ſum ego? *Etiam ſi habuero quidpiam iuſtum, meum iudicem deprecabor. Peccavi: quid faciam? Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*: & quanvis benedixeris: & quanvis non benedixeris. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? Inveniet homo* contra te *iuſtas querimonias?* Nunquid poſſum dicere. *Cur ita facis? Iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ*, cùm in conſpectu tuo nec *Stellæ* ſint *mundæ.* Si *in Angelis* tuis reperis *pravitatem*, mundum invenies immundiſsimum hominem? *Quantas habeo iniquitates & peccata! Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Ne declines in ira à ſervo tuo*: igitur etiam, *ſi occideris* me, in te *ſperabo.*

Examen utile particularis iudicij.

Oratio ſupplex ad iudicem.

3 Nullus ergò intelligere poteſt viam ſuã: Corpus laborabit intimis cruciatibus, ut homo revertatur in terram, *de qua ſumptus*: anima erit *quaſi momentum ſtateræ.* Quàm apta comparatio! Perpende tremulam ſtateram in æquilibrio. Aſcendet? Deſcendet? Erit inter pœnam & gloriam, ſicut Propheta inter cœlum, & terram? *Sicut momentum ſtateræ.* Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem; in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Ubi iudicabitur? Declinabit, vel ſublimia petet? Si gloria pondus, elevabit animam pondus gloriæ? Si peccatum onus graviſsimum, opprimetur pondere peccatorum? O quantum in examine patietur libræ! Quantæ cogitationes ſugillabunt moribundum infelicem, inter bonorum & malorum bilancem! *Qui fecit pondus ventis*, parcet delictis? Qui ventorum levitatem appendit, gravitatem ſcelerum prætermittet? Si cum fecero *omnia, quæ præcepta ſunt* mihi, *ſervus inutilis* ſum (quod debui facere, feci:) omnia tranſgreſſus & ultrò, qualis ſervus iudicabor? Si Sponſus vulneratur in crine, quid in ſcelere? O miſer! Diſtrictionem rimare iudicij, ſiquidem vel in crine iudex offendit. Si Sponſa quærendo, non invenit; malus aberrans inveniet? Solicitæ evanuit: negligentiori apparebit? O Deus meus & omnia! O! Quomodò ſtabit momentum in ſtatera? Quale examen? Quale cruciamen? Quale ſignum? Quale momenti momentum? Proiectus ſum à facie oculorum tuorum? Lunaticus erit animus, malè patietur: igitur per adverſam cogitationem, & agitationem, ſæpe cadet in aquam, & crebrò in ignem.

Iſai. 40. 15.

Stimuli pœnitudinis ad pœnitentiam.

Homo proximus morti, quaſi momentũ ſtateræ.

Senec.

4 Audi & Ethnicum Philoſophum *Epiſt. 66. Neſciam unde deſcenderim? Semel hæc mihi videnda ſint an ſæpe? Neſciam quò hinc iturus ſim? Quæ ſedes expectet animam ſolutam legibus ſervitutis humanæ? Vetas me cœlo intereſſe?* Vetant peccata, ſed invitat clementia. Corda equidem erunt quaſi ſpeculum peccatorum, ut morienti obijciantur ſemel & iterùm. Quàm pavidè cor, fallente veſtigio diſcretionis, lubricante pede propenſione lancis, agitabitur curis, diſcruciabitur tormentis! Quis non caveat, ſi non timeat? Quis, ſi Dominus *In agonia prolixiùs orabat*, ita comprimente agnore impeccabilem animam, ut *Factus* eſſet *ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*? Approquinquante morte, noſtræ mentis in ſe certamen expreſsit; agonemque ex quo pendet æternitas, deſignavit igitur eminet & imminet undecunque formido, cùm per ſolutionem carnis iudicio propinquamus æterno. *Si hoc eſt in viridi, quid erit in arido?* Pavitat omnis vivens, & perhorreſcit moriens. Ubi dirigetur ſtateræ momentum? In cœlum ſursùm? In infernum deorſum? Dextrorsùm, vel ſiniſtrorsùm? Quorſum ergò? Credibile eſt, ita mei oblitum vivere, ita impotem prudentiæ; cùm oporteat ante tribunal Chriſti manifeſtari, ubi nihil remanebit inultum, nihil non verificatum? Ita capita criminum gravare rationem vera iuſtitiâ, & mihi videri negligenter acroämata? Ita in mari magno navicula corporis, pondere flagitiorum naufragari; & minimè arripere ab Eccleſia, ut ſalvet, tabulam pœnitentiæ? Hoccine credibile? Heu! *Quid ergò erit nobis?* Mundus ſubvertitur, ut excitet; & dormio ſopore gravi? Omnes pavent ad crepitum, & intrepidus obduror ab ictum? In omnes graſſatur formido, & lumina claudo? *Quid dicam, aut quid reſpondebo?*

Sagittæ acutæ cordis pœnitudine ducti.

5 *Vocabis me? Ego reſpondebo tibi? Operi manum tuarum porriges dextram? Miſerere mei*, vel miſerere tui: igitur *in inferno quis confitebitur tibi? Ne proijcias me à facie tua*: at ſi ad tempus, conſtitue etiam mihi, *in quo recorderis mei*, dicaſque: *Hodie mecum eris. Sonet* ita *vox tua in auribus meis.* Vox enim tua dulcis. *In domum Domini ibimus?* Quid amplius? Nihil ultrà, ubi *facies tua decora.* Ergo genu flexo cordis, quia corpus non valet in eculeo infirmitatis; pectore anxio, tanquam acriore cordolio, vultu demiſſo, decuſſatis brachijs; uti mortis reus, dicam acclinis.

Gloſſema illuſtre pro moribundis, afflictis corde.

Quantuvis immaculatus,
Homo loqui non audebit:
Imò totus obſtupebit
Præ timore coärctatus:
Tot ergò noxis fœdatus,
Quid ſum miſer tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus?
Ecquis ſatagit clientis,
A furore Omnipotentis
Cùm vix iuſtus ſit ſecurus?

Alta fungens providentiâ,
Conſervas tot ſtructuras,
Erga cunctas creaturas
Uteris beneficentia;
Ex te cùm maneat clementia,
Rex tremendæ maieſtatis,
Quid ſalvando ſalvas gratis,
Tuo ſanguine redemptum,
Gratiæ reſerans fluentum,
Salva me fons pietatis.

Tuus, Domine mi, ſum verna,
Iter longinquum feciſti,
In hunc mundum deſcendiſti,
Ductus pietate ſuperna:
Memoriâ polles æterna,
Recordare Ieſu pie,
Quod ſum cauſa tuæ viæ:
Cum Hæreticis Paganis,
Improbiſque Mahumetanis
Ne me perdas illa die.

Pendens in ſacrato ligno,
Diras paſsiones tuliſti,
Flagellatus quoque fuiſti
Nimis à populo indigno:
Pietatis vultu benigno
Quærens me, ſediſti laſſus,
Redemiſti, Crucem paſſus,
A laqueo perverſitatis:
Tam excelſæ maieſtatis
Tantus labor non ſit caſſus.

Per-

Perverſus quidem omiſi
Tua ſalubriora mandata,
Mente meà depravatà
Multa bona prætermiſi:
Horum omnium, quæ commiſi,
Iuſte iudex ultionis,
Donum fac remiſsionis:
Hoc vellem à te impetrari,
Ut poſsim iuſtificari
Ante diem rationis.
Dignus, qui à me diligaris,
Crebris offenſis arceris;
At contritione cieris,
Et confeſsione placaris:
Quoniam lachrymis curvaris,
Ingemiſco tanquam reus:
Culpâ rubet vultus meus,
Operatus quaſi ſtultus:
Si ad ignoſcendum es multus,
Supplicanti parce Deus.
Duc me per ſancta viarum,
O Divina magnitudo,
Ne me premat multitudo
Iniquitatum mearum:
Pater miſericordiarum,
Qui Mariam abſolviſti,
Et Latronem exaudiſti,
Crimen vertens eis decori;
Hoc exemplo, peccatori
Mihi quoque ſpem dediſti.
Ut ſemper ducar ad bonum,
Auctus virtute conſtantiæ,
Finalis perſeverantiæ
Elargire magnum donum:
Tuarum miſerationum
Præces meæ non ſunt dignæ;
Sed tu bonus fac benigne,
Utens liberalitate;
Pro tota una æternitate
Ne perenni cremer igne.
Paſtor eſt, ad cuius legis
Imperium ſegregabuntur
Hœdi, qui reprobabuntur
Ab ovibus, quas tu regis:
Igitur ſelecti gregis
Inter oves locum præſta,
Et ab hœdis me ſequeſtra,
Lupos rapaces fugando;
Et brachio denique blando
Statuens in parte dextra.
Hìc ſumma cum æquitate
Recta largè præmiabuntur;
Mala culpæ ordinabuntur
Iudicis ſeveritate:
Sententiæ efficacitate
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
In æternum peruſturis;
Ex omnibus creaturis
Voca me cum Benedictis.
Ad pœnitentiam appello,
Remedium ſtabilitum;
Quando fui per appetitum
Victus diabolico bello:
Compunctionis terebello
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis;
Mortem non vis peccatoris,
Curam gero mei doloris,
Gere curam mei finis.

6 Hæc accepi à Viro docto, ut patet, & mihi familiaritate coniuncto. Lege, & iudicium cave: vel ita vive, ut cupias lætè diſſolvi. *Qui autem de ſua ſpe, & operatione ſecurus eſt; pulſanti confeſtim aperit, quia lætus iudicem ſuſtinet: & cùm tempus propinquæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilareſcit.* Hæc Gregor. Magn. Homil. 13. *in Evang.* Ut ergò te pudeat catholice ſolutæ vitæ, inſeram etiam auctoritatem Senecæ. Sic enim infit, *Epiſt.* 26. *Non timidè componor ad illum diem, quo remotis ſtrophis, ac fucis, de me pronunciaturus ſum; utrùm loquar fortia, an ſentiam: nunquid ſimulatio fuerit, & mimus, quicquid contra fortunam iactavi verborum. Et Epiſt.* 32. *Perduc te in tutum, & ſubinde conſidera, quàm pulchra res ſit conſumare vitam ante mortem; & deinde expectare ſecurum reliquam temporis ſui partem, in poſſeſsione beatæ vitæ poſitum: quæ beatior non fit, ſi longior. O quando videbis illud tempus, quo ſcis tempus ad te non pertinere!* Vide alia pulchra *Epiſt.* 103.

Gregor. Magn.

Senec. *Aureæ circa mortem Stoicæ ſententia.*

Sic Patriarcha Glorioſus Benedictus Monachos huius pavoris admonet, dicens cap. 4. *Regulæ Sanct. Diem iudicij timere.* Ac pluribus in locis, maximè cap. 2. & 65. ubi ratio reddenda coram iudice, & in ſubditis, & in Abbate apponitur formido cordium; ut contrahantur habenæ cupiditatum: igitur nemo audebit vel in apice legem ſanctam præterire, & exactionem iudicis cogitare. Revocabit impetum, & corriget faxò erratum, dum ſeipſum cogitaverit moribundum; & in fine temporis latere momentum æternitatis. *Morte morieris*: dicitur Adamo. Ideſt, ſummè angeris in morte. Non finem dolorum arbitreris in fine, *Morte morieris*; igitur patieris in morte dolores, reſpectu quorum dolores mortis videbuntur inanes. *Morte morieris.* Sine huiuſmodi diſcrimine moriturus fueras: ſed morte morieris, quia morieris etiam morte diſcriminis. Diſcrimen mortis in vita eſt; mors diſcriminis in morte. Ideo dicitur

S. Bened

Haud facilè peccabit, qui in fine temporis momentum cogitat æternitatis.

Geneſ. 2. 17.

Mors

Mors diſcriminis dirior diſcrimine mortis.

Mors mortis: & morte, ſi peccaveris morieris; quia tibi nota per conſcientiam commiſſa noxa, ſed non iudicis ſententia. Erit enim acrius morte moribundo tormentum; ſcire crimina, & ignorare iudicium. Mors, ut dixit *Didaſ.* 1. *num.* 1. eſt extremum malorum. Quieſcunt multi morte, quoniam malorum extremum: & diriſsima innoteſcit hominis iamiàm morituri pœna; quia poſt extremum etiam invenitur vltrà.

7 Patet acumen auctoritatis, ſeu gnomæ à pluribus perpenſæ, ſed nondum, ut par eſt, examinatæ. *Cum conſummaverit homo, tunc incipit* (inquit Siracides) *& cùm, quieverit, aporiabitur.* Negotium faceſsit ſed patet arcanum, qua implicatur antitheſi. Aporiari, anxietatem ſignificat, & quies interdictam moleſtiam perſpicuè notat: quo ergò pacto cum quieverit, aporiabitur homo? Conſumatio finis eſt, & non principium: in exordio itineris quis habet exitum? Nulluſdum. Quomodò itaque curriculum incipiet, cùm curſum placidè conſummaverit, ut detur finis poſt finem, & labor amplior poſt quietem? In morte, ubi homo appropinquat fini. Conſummatio hominis eſt in exitu vitæ: dicitur namque mors quies; quippe dolorum corporis remanet expers: & tunc incipit laborare moribundus, ubi curſus videtur ex tempore conſummatus; igitur per mortem ceſſat corporis tormentum, & incipit Dei iudicium.

Eccli. 18. 6.

Cum ceſſat mortis tormentū, incipit Dei iudicium.

Dolores mortis intenſiores iudicantur, quia vitam acuitate è corporibus expellunt. Epitaſis conturbationum mors eſt: & quies dicitur ipſa mors, cum homo appropinquat fini: igitur in tanto vitalitatis agone, quod intimè angit cruciatibus animam, eſt ignorare iudicaturi ſententiam. Poſt finem habet finem: & angit meritò conturbatum hominem; in ſcientia mortis, mortis ignorare qualitatem: conſtare actiones litis, ac latère compunctionis: Deum conſiderare (quantunvis placabilem) meritò offenſum; & ſeipſum (tametſi pœnitentem) moribundum.

Qualis anxietas moribundi?

8 Subdit Sirachus. *Quid eſt homo, & quæ gratia illius? Et quid eſt bonum, aut quid nequam?* Ecce ratio qua aporiatur, dum ad iudicium actorum venitur. Aliqui pro *Aporiabitur* vertunt, *Anceps, perplexus, dubius erit.* Vide Alapide hìc. Patet ſenſus auctoritatis, & cauſa angoris. Si dubius, & anceps de ſententia, erit ne vexatio peregrina? Cum quieverit, aporiabitur, & in ſummam anguſtiam moribundus redigetur: igitur configetur ſolicitudine cor, homine contemplante: *Quid ergò fiet ab exactore de me? Utrùm incipiam pati, cùm deſinam vivere. An amittam æternam, cùm dedam vitam. An prævalebit bonum, vel poterit malum. Ignorantia gratiæ, & certitudo iudicij. Utrùm placuit pœnitudo, cùm diſplicuerit tranſgreſsio?* Ibi ſciam, quid ſit bonum, aut quid nequam. Hic patior, intra ſeipſam contendentem animam, & pluſquam dolores mortis, angores perferentem perplexitatis: ſiquidem neſcio, an bonum, Dei gratia, animam elevabit ad cœlos; vel nequam malitia mea ſpiritum propulſabit in inferos. An denudetur ut malum, quod plaudebam tamquam bonum.

Verſ. 7.

Alap.

Anima moribundi, etſi iuſti, intra ſe contendit.

Mala autem mea (ait Hugo hìc) *pura mala ſunt, & mea ſunt: bona autem mea, nec pura ſunt, nec mea ſunt.* Non erit afflictio eiuſmodi cogitatio? Quid ſi nulla bona & innumera mala? Quid ſi de malis in peiora, vel de bonis in mala ruit inconſultò, vel meditanter præceps, ſicut anima Saulis? *Tenent me anguſtiæ*, aiebat proximus morti. Haud de vulneribus defatigatus quæritur: ſagittis acrioribus divexatur. Non ſunt mortis anguſtiæ, ſed conſcientiæ.

Hug. *In morte non mortis anguſtiæ, ſed conſcientiæ.*

2. Reg. 1. 9.

Quid pœna præſens, conſcius mentis pavor,
Animuſque culpa plenus, & ſemet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.

Ita Seneca, ut ſolet aureo ore, in *Hipol.* Act. 1. v. 160. Tenent igitur anguſtiæ: patet mors etiam in morte, & timor eſt acrior, quia pœna æterna propinquior: igitur cùm vitæ morte conſummaverit curſum, æternum incipiet ſuſtinere tormentum. Quid autem non timebit ſceleſtus, cùm vix iuſtus ſit ſecurus? Non in fine finis hominis. Eſt utique mortalis, & immortalis: finem mortalitatis habet in morte, verùm poſt mortem immortalitatem ſine fine. Unde David *Omnis conſummationis vidi finem.* Nequaquàm paragogicè loquitur; ſiquidem in diſtricto vitæ iudicio, fine gaudet conſummatio: qui quidem ita divexat, cùm exitum iudicandus ignorat; ut non titubet patiens conſummationem finis vitalis, & timeat in iudicio finem finalis conſummationis: poſt infirmitatem quippe patitur lethum, cæterum poſt mortem exactiſsimum iudicium.

Senec.

Ubi vita conſummatur curſus, incipit in peccatore cruciatus.

Pſalm. 118. 96.

9 Huiuſmodi articulum proſpiciens idè Pſaltes; & cogitans dies antiquos, habens in mente & annos æternos, ſpiritu ita turbatus, ut nihil præ dolore ſit locutus; pernox, ſiquidem anticipaverunt vigilias oculi; inſopitus, quippe ſcopebatur ſpiritus mente, meditatus ſtrictim cuncta futura, dicebat ſoliloquens in corde: Nunquid in æternum proijcie Deus; aut non apponet, ut complatior ſit adhuc? Aut in fine miſeri-

Contemplatio iudicij.

cordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? Obliviſcetur miſeri Deus? Continebit in ira ſua miſericordias ſuas? (O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius!) Defecit ſpiritus meus. Et denique ſubdit: *Et dixi, nunc cœpi*. Hebr. & Caietan. *Ægritudo mea ipſa*. Rabbi David Kimhi: *Mors mea*. Perpende contrarietatem, dum æger Pſaltes extollit amplitudine dolorem. Si dicit, *Mors mea*, quomodò *Cœpi*? Exordium initur à vita, ſed non à morte. Aptè dixit *Mors* & *Cœpi* in infirmitate: igitur in fine per mortem non habet finem; quia tunc incipit expectare iudicij conſummationem. Æger autem appropinquat morti, quæ procedit è corporis ægritudine: ac in morte, qua finitur, collocat meritò exordium; quippe reſtat adhuc vitæ ſeveriſsimum iudicium, & incipit iudicari, cùm deſinit vivere.

Pſal. 76. 11. Caietan. & Rab. Kimh.

Homo incipit iudicari, cum deſinit vivere

10 Multoties in Scriptura *Infirmari* ſumitur pro *Incipere*, ſicut Pſal. 67. 10. *Pluviam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Unde ſenſus teſtimonij erit: *Dum cœpi infirmari, incœpi mori*, vel *mortuus ſum, antequàm mortuus*. Sic enim aſtruit ex Caietano, Lorin. hìc. *Nondùm mortuus*. Quomodò ergò moritur, priuſquam moriatur? Benè. Affligitur & affligitur doloribus ægritudinis, potiuſquàm futuris anxietatibus mortis: quia non ut mors cogitatur, quæ vita hominem ægritudine privat; ſed qua rationem de cunctis actis redditurum cogitat: quandoquidem acriùs pungit cogitatio iudicij, quo pendet æterna; quam tormentum inſtantis mortis, qua amittitur amiſsibilis vita. Clarius dicam. Non cruciat animum ægritudo, quia moleſtijs defatigatus moritur; ſed ad iudicio Dei etiam in morte morietur.

Infirmari pro incipere.

Lorin.

Acriùs pungit cogitatio iudicij futuri, qua præſentis mortis labor.

Deinde. *Mors mea.* Si infirmus, non eſt mortuus. Cœpit malè valere, verùm non mori. Mortuus erat à corde, ubi gravabatur cogitatione iudicij: ſiquidem certò etiam ſciebat obitum, ſed non exitum; in quo cauſa cadere poterat miſer, vel palmà vivere felix. Quid mirum, quòd ante mortem mortis vices gereret cogitatio; dum bonum, vel malum æternum pendebat certè ex incerto iudicio? Innuit Caietan. ubi ſup. *Declarat* (ait) *gratiam Dei liberatricem ab hac afflictione.* Quidni afflictio, ſi neſcit, an dignus ſit amore, vel odio? Cæterùm in ægritudine, cur gratia ſupponitur efficax medicina, ſalute quaſſata? Non corporis, ſed animi cauſa eſt: & non magni amittere vitam; ſed maximi omninò amittere animam. Gratià iudicis fit palma litis. Patietur morte corpus, at nullatenùs animus: imopotiùs dulcem vocaret acidam mortem, ſi proſpiceret ſaltèm propitium iudicem. Expelleret à pectore metum, ſi ſuſpicaretur gratum: & ante mortem moritur, quia iudicij cogitatione vitaliter ſuffocatur: igitur articulus continet omnium malorum mœſtitiam; dum animam proijcit anceps in omnem aleam. Hiſp. *Es la mayor peſadumbre, exponer el alma à ſalga lo que ſaliere.*

Caietan.

Ante mortem homo moritur, quia iudicij cogitatione ſuffocatur.

11 Hac de cauſa in infirmitate dixit: *Nunc cœpi.* Siquidem bona valetudine nequaquàm homines ſtudent æternitati. *Venit finis* (perhibet Ieremias) *quia venit finis*: modò æternitatis recordantur, quia dies complentur: & finis additur ex induſtria fini, quippe finis hominis inchoatur à morte: à fine vitæ ad iudicium; à morte ad felicitatem, vel cruciatum: dicitque David, *Nunc cœpit*; ingerens hominum cogitationi, ita vivere cautos, ut à fine uſque ad finem pertingat virtus. A ſummo uſque ad ſummum. A ſummo tormento mortis, uſque ad ſummum tormentum iudicij urgentis. Quid ſi iudex obijcit: *Quid pro te non feci, dum eſſem in carne? Quid ergò pro te, vel pro me feciſti?* Iuſtificabitur in ſermonibus ſuis, & vincet, cùm iudicaverit. Creſcet anxietas à ſummo uſque ad ſummum. Nec reputabitur extremum finis ultimus, qui mors; cum dicat ſpiritus anxiè, vel fauſte: *Ergò conſummatum eſt.*

Thren. 4. 18.

Quomodò finis exordium?

DIDASCALIA III.

Vera mors eorum, qui ſine pœnitentia abeunt.

1 Dicit Paſchaſius lib. 3. Meritò: igitur non expedit ſine pœnitentia quemlibet è vita migrare: cùm ergò in multis offendamus omnes; oportet, nos exhibere pœnitentes. *Morte morieris*, dixit Deus Adamo, ſimulac comederis de ligno vetito. Morieris, quia tranſgreſſus præſcriptionem; & morte morieris, ſi omiſeris pœnitudinem: ſiquidem facti pœnitentia, eſt poſt mortem peccati ſecunda vita: ac reſipiſcentia audatiæ (quanvis moriaris) liberabis à morte. Vera mors ſtat in eo, quòd egrediaris de ſæculo, quin prævaricationis comes acceſſerit pœnitudo. Morieris, quippe peccabis ſed morte non morieris, ſi pœnitueris. *Morieris tu & non vives*, phraſis eſt pervagata in Scriptura, 4. *Reg.* 20. 1. *Iſai.* 26. 14. & 38. 1. Quis

Paſch.

Gen 2. 17

Non moritur qui, pœnitens moritur.

4. Reg. 20. 1.

Quis igitur vivit in morte? Qui peccat, & ſcelerum pœnitet. Crimen facit animam mortuam, & pœnitentià tranſit de morte ad vitam. Perit corpus, & nequaquàm ſpiritus: unde moritur & non vivit, quicunque impœnitens è vita diſcedit, & vivit in morte, qui abhorrens à culpa, confugit ad aſylum pœnitentià.

2 De animæ interitu per culpam diſſervimus pluribus Didaſcalijs Tautologià præcedenti. Modò de pœnitentiæ excuſatione agere, opere duxi (licèt aliqua dixerim *Didaſcal. ult.*) ne moriantur morte, qui poſſunt in morte vivere. *Morte morietur*, & *Peribit anima* pro eodem uſurpatur in Scriptura. Sanè: ille verè moritur morte, qui animam perdit. Pœnitentiam multoties prædicamus, & fatiſcimus: itgitur nemo ſequens tollit crucem, quamquam ſeipſum confiteatur miſerrimum peccatorem. *Tollat crucem.* Duplici ſignificatione patet *Tollat*, & in profanis litteris, & in Sacris. Signat autem tùm *Excutere*, tùm *Ferre*: & non dicitur ex induſtria ferat, ſed crucem *Tollat*; quia quicquid oneris ſuſtinuerit per gravamen pœnitentiæ, tollet ab onere. Graviſsima profectò ſunt flagitia, & labor fingitur in pœnitentia. De illius æruminis iure dicere poſſum, quod aliò Poëta 1. *Metamorph. Fabul.* 1.

Exod. 32. 14.

Matth. 16. 24.

Onus pœnitentiæ non gravat, ſed ſublevat.

Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Ovid.

Pondus ſine pondere: utique, igitur à cruce futura excutit; quodcunque pœnitens tollit. Parcet dextrè futuris ſine dubio tormentis, cruce tormentorum, cui non parcit.

Plerunque autem obijcientibus patientiam Dei tot criminibus offenſi, fragilitatem vitæ, conſuetudinem peccati, & in futurum acclivitatem pœnitentiæ; inſipientèr vel proiectè reſpondet, ſpei ſupplantatione lactatus miſer: *In ſenectute malorum meorum pœnitentiam agam.* (ſcit ne, perventurum uſque ad ſenectam?) *Pius nanque Dominus, & multum miſericors. Superexaltat iudicium miſericordia: ſcelerum meorum haud memorabitur ultrà. Mariæ interventus in cauſa peccatorum, Sanctorum patrocinium, quid obicis non proterent? Quid boni non facient? Quid à iudice non impetrabunt; maximè cùm mortem peccatoris non velit, & pro peccatoribus ſuum ſanguinem in remiſſionem fuderit? Tantus ergò labor caſſus? Sine pretio erit theſaurus omni pretioſitate pretioſior? Quid? Non obruet amaritudinem ſcelerum dulcedo fluminum cruoris, dum ſat porrò gutta ſanguinis? Habemus apud Patrem advocatum Ieſum-Chriſtum Dominum noſtrum. Non enim habemus Pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris. Nonne Eccleſia Catholica figurabatur in Noëmica arca, qua ſalva fuit humana natura? Sicut aqua dilabimur; haud difficilis, potiſſimum auſpicatrice Virgine Matre, converſio à frigiditate peccatorum in gratiæ conditum pretioſum vinum. Nonne Latro vel in cruce exauditur, & ſalvatur? Obliviſcetur miſereri Deus? Idem ipſe eſt. Nonne*:.: Sile: ſiquidem præceps in pericula ruis, & obrueris. Mira narras inconſultò. Mirabilis erit, ſi nanciſceris, converſio. Cuncta ergò ſtrictè examinanda, ne tibi ſint ſupplicia, quæ exponuntur in exempla. Haud alijs teſtimonijs & rationibus convinceris, quàm tuis, ut ſeriò & non ſerò doleas, pectus tundens, de peccatis. *Pœnitentiam* (ait Novarin. *Umbra Virg.* Excurſ. 16. num. 120.) *qui peccavit, agat non pœnitendam: ſeriòque id præſtet, ne non pœnituiſſe pœniteat ſerò.* Nudentur ergò ſigillatim excogitata fulcra, queis à te audacter divina collocatur clementia.

Illecebræ diaboli in peccatores, pœnitentiam renuentes.

Ratiocinatio peccatorum, ne quam primùm reſipiſcant.

Ille ſibi parcit, qui ſibi pœnitendo non parcit.

Novar.

3 Octo tantummodo animæ ſalvæ factæ ſunt in arca Noë: at ſine numero; quos aqua ſuffocavit; igitur ira Dei mundo originali non perpecit, ut futurus cautior ex naufragio ſurgeret, & in alieno capite periculum taceret. Eris electus ex millibus circundatus ſceleribus? Expectas longam Dei patientiam? Illi utique coràm Domino invenerunt gratiam. Erigitte in ſpem, cùm ſis peſsimus pietas in bonos, & non coërcebit ſupplicium illatum in malos? Pœnas proculdubio lues, & cauſa cades. Perpende. Oſtium habebat arcæ ſtructura & feneſtram. Hanc versùs cœlum ex prægrandi cryſtallo. Vide Pererium in Geneſ. lib. 10. de *Arca Noë*, Diſp. 9. Petr. Comeſt. hìc, *cap.* 32. & Ioannem Buteum. *Oſtium ex latere!* Undè in tecto collocatur feneſtra (ut placet Oleaſtro hìc) & porta in latere. Feneſtra in tectò, ut tranſmitteretur lumen, oſtiumque ex latere, ut in arcam ingrederentur ſalvandi; quos *Incluſit Dominus de foris, claudens oſtium poſt ſe*: inquit Saa hìc. Hæc eſt hiſtoria.

Fatua fiducia.

Gen. 6. 16.

Gen. 7. 16.

Sed inquires: cur Dominus claudit oſtium arcæ, & nullatenùs Noëmo clavem confert; cui iurè reſpondenti, credidit cuncta, quæ ſapienter cogitaverat de arca? Si abs liberis & fœminis Noëmus in arca eſſet, arbitror, ſanè Dominum etiam clavem traditurum fuiſſe. Sed quare? In arca figurabatur rationalis Reſpublica: præſes Noëmus iuſtus & ſanctus, filij principes, quaſi latus patris cingentes: habebant igitur conſangui-

Cur Dominus Noëmo non credidit arcæ clavem?

guineos & amicos, quos uti indignos pietatis, Deus aquis tradiderat ſuffocandos. Omnes perditum iri decreverat Dominus;& à poteſtate clavium arcæ removetur Noëmus: igitur clamantibus ſuffocandis,ut tollerentur in arcam, ac evaderent vorticum ingruentium indeclinabilem pœnam(fœminis plorantibus & implorantibus, filijs ſupplicibus) Principis etiam iuſti æſtuaret animus:& pro indignis inconſultò commotus, impœnitentiæ non inſcius, quantunvis addictus divinæ legi & iuſtitiæ; faceret tamen per illos, quos habebat à latere. Sæpè enim recto Præſide inhabiles ad miniſterium, per latera Principis conantur, & nanciſcuntur introitum. Lepidius Hiſpan. *Siendo el Superior ajuſtado à las leyes, comunmente los indignos ſuelen entrar por los lados.* Vide *Tautolog.* 2. *Diſdac.* 11. *num.* 10. & ſeqq.

Inidonei ad miniſteriũ plerumque per latera Principis adipiſcuntur introitum.

4 Ad rem quidem. Deus ergò peſsimos invitaverat ad vitam. Noëmo prædicante flagitiorum pœnitentiam: ſed ſenem iudicabant fatuum, & orbis ſubverſionem delirium, ludentem loqui, ne indulgerent voluptati; ſed illi econtrà ſtudentes genio, vivebant ideo mordicùs prolubio. Repentè irruit improviſum diluvium, quin valeret clamor reſipiſcentium, ac devoventium invitè fiduciæ inani victimam iniuſtiſsimæ vitæ. Iuſtitia eſt, ut pereant modo circundati cataclyſmo; igitur ſæpe terroribus moniti, noluerunt ingredi per pœnitentiam in arcam, cùm ante ſuffocationem habuerint & portam perviam. Iuſtitia eſt ut tenuente Minervà amplectantur mortem, cùm renuerint in tempore placito obtinere ſalutem: ac patiantur inevitabilem pœnam, quia dexpexerunt tempus acceptum, quo illos Noëmus invitaverat ad vitam.

Iuſtum eſt, oſtium ſalutis peccatoribus claudi, quia dùm tẽpus erat, noluerunt ingredi.

Aquis oppleti, lubricà ſpe, valido metu, tremulo corde, pavido pectore extendebant, Tantali adinſtar, defeſſa brachia; & etiam in cacumine fruſtrabantur deſideria. Anteactæ vitæ docile iam pectus acriter pungebat ſtimulus, urgente contemplatione amiſſæ voluntariè ſalute, & pœnitendi obvià ſæpiùs occaſione: verùm ſerò. Si dolor ille percuſsi & perculſi cordis, ſi pœnitudo tuſi meritò pectoris(quin dignè poſſent effingere querimoniam, quia tempus non habuerunt ad pœnitentiam; imò poſtquàm cognoverunt, percuſſerunt femur ſuum, quod Hiſpanicè & Latinè explicamus interiectione *Ha*!)non perveniret in articulo mortis; ſpem proculdubio nanciſcerentur ſalutis; ſed illorum deridetur phantaſia, vel in ipſa pœnitentia,igitur pectoris elicuerunt ſuſpirium, ubi iam Deus peroſus clauſerat oſtium.

Serò poſt oſtiũ clauſum pulſat ſuſpirium.

Arca illa (ubi ſubſedit etiam inter diſcrimina quies, cùm mundus gravioris pateretur conflictum calamitatis) ſymbolum erat ſuccumbentium oneri legum,ſicut naufragi claudicantium à ſemitis præceptorum: & minimè feneſtra collocatur in latere navis; ut amoveretur vel occaſio compaſsionis. Noluerant centum annorum ſpatio à peccatis reſipiſcere, ac ab illicitis mentem aliquantò revocare: atque cum Noëmo, in quo inerat ſtultorum vana fiducia, clauditur impetè ianua; ut viderent inſipientes adverſarium, quem cogitabant in periculis patronum.

Iuſtus à peccatore invenitur adverſarius, cùm cogitatur patronus.

Clariùs quidem. Feneſtra figitur tecto, oſtium ex latere, claudente Domino arcam à foris; ne ſeram retluderet commiſſerationis Noëmicæ, clavis. Cur de Noëmo ſuſpicatur Dominus aperire poſſe aditum, quibus abnegaverat iuſtitia rectiſsimè ingreſſum? Iuſtus erat Noë, & advocatus hominum, qui quidem longiſsimum tempus triverat in converſione mortalium. Conſonum ergò erat iuſti mititati, ut tanta clade ſtuderet miſerorum compaſsioni: & Deus abſtulit à Noëmo clavem arcæ, licèt commiſerit clavem cryſtalinæ feneſtræ; ne clemens uti hominum tutelaris, aperiret arcam, cùm Dominus ſceleſtis clauſiſſet portam: imò viderem meritò iudicem, Noëmum iuſtum, quem expectabant auſpicem. *Undique clauſa* dicitur arca, in *Scholaſt. Hiſt. Geneſ.* cap. 32. *Addit.* 1. Undique clauſa, quin appareret reprobis,vel levis rimula; ne foverent pectore vel inanem fiduciam, cùm viderent etiam cum advocatis clauſam undique portam.

Pet. Comeſt.

Quid molientur advocati in cauſa ſalutis, ſi porta clauditur à Deo coràm oculis noſtris? Claudit, & nemo aperit. Quid igiturVirginis Matris deprecatio conſequetur ad ſalutis introitum, cùm in tempore reprobi recuſarunt ingreſſum? Arca elevabitur in ſublime, & illi ſuffocati gement dolore:quandoquidem accedit claudicans pœnitentia, clauſa ianua. Verum eſt,quod fragilitate & conditione,ſicut aqua dilabimur, ſed expedit effundere ante conſpectum Dei, ſicut aquam cor noſtrum. *Sicut aquam*:quippe maculæ peccatorum, non alio delentur, niſi nitro lachrymarum. Multum valet deprecatio iuſti aſsidua pro delinquentibus,& prævaletVirginis Matris pro peccatoribus; ſi modo flectuntur in legum cuſtodiam, & agunt pro delictis pœnitentiam: ſi quominus contentioſè aberraverit cor,adhuc cum Virgine præcidetur ſpes.

Lachrymis abſtergitur macula ſceleris.

Thren. 2. 19.

5 Converſio quædam deſiderata fuit à Dei

Deipara, quæ quidem illicò parta. *Dicit Mater Ieſu ad eum: Vinum non habent.* Et infit Evangeliſta: *Guſtavit architriclinus aquam, vinum factam.* Alià à dæmone ſuppetita, cùm ab ipſo ductus eſſet Dominus in deſertum, & noluit operari miraculum. Cur ergò ſi æqualis poteſtas ad prodigia patranda ſemper inerat; unum abnuit, & alterum ultrò concedit? An propter diſcrimen ſupplicantium? Nec modò peccatores reſipiſcent, contemplantes inutile, & utile patrocinium: igitur læti abdicunt Virginem auſpicatricem, & ad miraculum ſolicitant patronum dæmonem. Arbitror à materia miraculorum diſcrimen repulſæ, & indulgentiæ, in documentum conditionis humanæ. Aliqui peccatorum habent in pectore *Cor lapideum.* Ideo in lege Gratiæ *Cor* promittitur *Carneum*, ut nanciſcatur in converſione docilitas, quod amiſit propoſitò pervicacitas. Alij cor ſicùt aquam frigidum, & in carnis illecebras diffuſum,& vagum:in aqua conſideratur imbecillitas, in lapidibus pertinacitas: & fragilitati carnis ultrò converſio miraculoſa conceditur, dùm protervitati cordis iuſtiſsimè denegatur; quippe haud facilè obtinetur converſio animarum, nec exhibetur claritas miraculorum; dum profertur pro corde cor lapideum.

Ioan. 2. 3. 9.
Matth. 4. 34.
Ezech. 1. 19.

Difficilis converſio animarũ, ubi pro corde exhibetur cor lapideum.

Spes enim converſionis micare poteſt, præcipuè interceſsione Mariæ, ſi cor quit curvari in legem, & flecti carneum in amiſſam, aut neglectam bonitatem: at ſeſe gerere ſine manibus & voce (ſine voce pœnitudinis, ſine manibus incumbentis operationis) adinſtar duriſsimi lapidis, proterentis ingentem ſtatuam legis, erectà à cerebro vacuo fortunæ machinà, & ruderibus & legum cupità ruinà, operante tyrannicà propenſione, & abolito mortalitatis imminentis fine; eſt profectò ſpe deludi,& vaniſſimè lactari. Non eſt ſalutis ſpes: ſiquidem tantummodò qui vivunt ad formam dæmonum, poſſunt ſtultè expectare converſionis miraculum. Elongabitur excogitatum prodigium, ubi pro corde contrito offertur audenter ſaxum: & meritò torquebuntur æternà ſine converſione pœnà; quia habuerunt ad converſionem pro cordibus adamanta.

Qui vivunt ad formam dæmonũ, ſtulte expectant converſionis miraculum.

6 Exponetur propoſitum. *Dic* (ait diabolus) *ut lapides iſti.* Sat. Converte lapides iſtos. Eſt ne rationalium lapidum procliva converſio? Potens eſt Deus de iſtis lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare; ſed caſſa eſt poteſtas, ubi propoſiti manet immutabilitas. *Dic*: Erit ſanè mutatio. Nulla. Qui non convertuntur ictu, convertentur & verbo? Convertentur, ſi convertuntur. At quomodò? Nota. Ut fruerentur cogitato miraculo, qui egebant vino; dixit Maria: *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Hæccine cauſa, cur evaneſcit converſio petita à dæmone,& obtinetur implorata à Virgine. Excidit converſio ſaxi, & demonſtratur lymphæ; deſignante miraculo in alijs pervicacem repugnantiam, & in alijs pervigilem diligentiam: igitur converſionem nanciſcetur (ubi pectus pœnitudine tunditur) quicunque fecerit, quæcunque Dominus per legem dixerit. Intentum aliter, eſt propoſitum diaboli, expectantis converſionem ſine converſione: cùm iurè Dominus retrahat gratiam auxiliatricem, ab oſtendentibus vice cordis,duriſsimum lapidem.

Matth. ubi ſup.

Ioan. 2. 5

Converſionem adipiſcetur quicunque fecerit, quæ Dominus dixerit.

Perpende *Iſti.* Non *Lapides* utcunquè, ſed *Iſti.* Corda denotantur humana, ubi invitat ad ſalutem gratia divina. Longè à Deo (quia non eſt Deus in conſpectu illorum) in lapides corda hominum convertuntur: ſed protervitas eſt ſumma, quòd in conſpectu Dei lapides non convertantur; igitur perſiſtit cordium obduratio, & coràm Deo. Templa viſitant, Jeſum Chriſtum Dominum iterùm ab illis, & pro illis crucifixum ſpectant, ſitientem illorum converſionem agnoſcunt, iuſtitiam Dei, ni reſipiſcant, exaudiunt, & viſcera miſerationis; ſed *Iſti*? *Lapides*: etenim haud flectunt lapidea cupiditatibus corda, patientia, iuſtitia, miſericordia, vel Dominica vulnera. *Dic ut lapides iſti.* Ad quid? *Sanguis Chriſti meliùs loquitur, quàm Abel*: quippe iſtius,fratris homicidæ exigebat vindictam, ſed Chriſti advocati implorat miſericordiam. Utique verùm amplectentibus pœnitentiam: alias detrudentur in barathrum, ut miſericordia exhibita ſuperexaltet iudicium. Habemus porrò Pontificem, qui compatitur infirmitatibus noſtris (eſt enim theſaurus ſummæ pietatis) cæterùm haud abutentibus eius clementià, ut in illum iteratis ſceleribus,pietatis retorqueatur ſagitta, auctà iniquitate, indulgentiæ fide. Amor neglectus implacabilis: haud facilè flectitur, ſiquidem inveniet iniquitas vindicem, quem noluit experiri clementem. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Revocabo ſententiam minacem, ſi revocaverint mentem: igitur amor indulget fragilitati, verùm non obdurationi.

Peccatorum obduratio, & coram Deo.

Hebr. 12. 24.

Clamor ſanguinis Chriſti qualis?

Amor deſpectus implacabilis

Ier. 18. 8.

7 *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, Domus Iſrael*, ait Dominus per Ieremiam. Prædica ergò & quamprimùm pœ-

Ibid. v. 8.

pœnitentiam; oſtendens prævaricatoribus vas recens diſsipatum, & ſumens etiam vas
Ibid. v. 4.
coctum. Pateat oculis huiuſmodi fabrica, ut ſeria agatur ab omnibus pœnitentia: ſiquidem primum, *Vas alterum* fieri poteſt in ma-
Ibid. c. 19. 11
nu figuli; ſecundum autem *Non poteſt ultrà inſtaurari*. Magnum aliquid myſterij latet in hieroglyphicis. Haud latet hominem, eſſe lutum animatum: fragilitas loquitur, equidem uſquequaquè conditione frangitur; ſed abditur à conſpectu cogitationis, quomodò iſthuic rationali fictili vaſi ſit ſtatus reſtaurationis, & impoſsibilitatis? Palàm, mihi videor, eſt cunctis. Delinquit homo, ſed deplorat delictum, & Deum offenſum: molleſcit lutum cordis profuſione lachrymarum, reditque in amiſſam gratiæ ſpeciem, figulo conferente pulchritudinem. Negat pœnitentia delictum, dum illum monſtrat vas alterum. Ille utiquè offendit, ſed pœnitentià non ille. Si acceſsit mentis mutatio, diſtinguitur à ſeipſo. Eadem eſt natura, ſed alia forma. At ſi lachrymis renuit flecti, non poteſt ultrà inſtaurari.

Reſtituitur pulchritudo gratiæ lachrymarum liquore.

Quale ingenium pœnitentiæ?

Liquidò ratio. Vas excoctum (quod quidem cor humanum) ſi flectitur, frangitur: Non ſolum amittit formam, ſed lapſu diſsipat etiam materiam; quia cùm minimè ſe exhibeat materiam docilem, nullatenus quit ullam recipere ſpeciem: pravè enim obduruit, nec liquore molleſcit. Ecce hieroglyphicum cordium obſtinatorum, pervicacium. Frangitur quaſi vas figuli, cor impœnitens in ſaxis noxæ. Sit: prompta reſtauratio in rota verſatili pœnitentiæ: verùm ſi non flectitur amiſsione bonorum, amaritudine moleſtiarum, ſtudio erga illud ſingularis pietatis, indulgentià, ut ſurgat, conniventis amoris; lentè ipſo amoris igne obduratur in peius, maximè dùm abeſt aqua molleſcentis ploratus: igitur ſi incipit impœnitens obdureſceret, non poteſt ultrà inſtaurari. Chiron aperuit adita vulneris. Morſus eſt aſpidis. Sanat igitur Deus contritos corde, non capitones obduratà cervice.

Cor impœnitens ſi incipit obdureſcere, perperàm quit inſtaurari

Innuit hieroglyphicorum myſterium, ſiquidem portenduntur ob facilitatem & duritiam cordium. Vas figuli recens confictum, ſi diſsipatur, facilè in illam, aut aliam ſpecioſiorem formam reſtituetur: quippe homo ſurget promptè à legis prævaricatione, ni indureſcat cõſuetudine peccandi. Vas ergò coctum nec aquis molleſcit, nec ductu manuum oſtendetur flexibile; quoniam potiùs frangetur, quàm flectatur, durius perſiſtens, quo magis confringitur. Si ignis quo coquitur amor eſt fornacis pietatis, infirmatur medicamine ſalutis. Clementia Dei (quia Deus patientiæ) invitat peccatores ad veniam; & quia Deus patientiæ, abeunt poſt cordis malitiam: igitur fidentes divinæ pietati, quæ impluribus connivit; alia atque alia itidem audent, quia miſericors pepercit. Obdurantur, quo alliciuntur. Quid mirum, ſi incurvis cordibus palpebræ Domini ſuperciliosè non parcant, cùm adignem amoris pugnaciter obdureſcant? Profectò lachymabile, amore perire unde in vaſe viridi & cocto ſignantur humana corda, quæ fracta poſſunt & non poſſunt reſtaurari ultrà; quia miſericordia Dei, licèt ultrò indulgeat lutei cordis fragilitati congenitæ minimè pectoris duri obſtinatæ pervicaciæ. Superbis enim reſiſtit, humilibus verò gratiam conferendo, libentiſsimè parcit.

Peccatores quo alliciuntur, obdureſcunt.

Amor indulget fragilitati, verùm non obdurationi.

8 Spretis Vatum minis, ac peſſundatà cuſtodià legis, mancipia voluptatum, etſi agnoſcerent amaritudinem vitiorum, veſanè filij Iſrael dixerunt: *Poſt cogitationes noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.* Abhorrent aures.
Ier. 18. 12.
Agnoſcunt pravitatem, & nullatenus compeſcunt cogitationem! Præcipites ruunt in cognitum barathrum, & adamant præcipitium! Quale conſilium horum meditanter deſipientium (Quorum intereſt revocatio? Expedit illis, vel Deo? Gloriantur, & perſiſtunt in malefactis, quaſi non ſua, ſed Dei intereſſet, & ſalvare deberet, velit nolit. Huiuſmodi cogitationem deplorans Propheta, pœnà criminum per Chaldæos illatà, ſic lamentatur: *Quomodò reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli?* Graphicè exprimit cladem Iſraëliticam, quia
Thren. 4. 2.
renuerunt agere (ut par erat) pœnitentiam, flectentes virgam indignationis iudicis, curvitate pravi cordis; in ò ſequebantur malis mala, quia priſtina prætermiſit miſericordia. Primis ſceleribus diſsipatur vas fictile cordis humani; & rursùm eformatur, quia ad bonum ductile, verùm ſi fiduciâ reformationis in malis obduratur; in vaſa teſtea convertitur. In luto fragilitas innoteſcit, in teſta obſtinatio fragilitatis perſiſtit: & lamentatur Ieremias corda humana, vaſa teſtea; quæ nunquàm poſſunt inſtaurari ultrà: igitur Deus ſemper mancipiat ignibus obſtinationem, licèt miſericors ſæpeiæpiùs hominum abdicat fragilitatem.

Nimia fiducia indulgentia quandoque deſpuit.

Corda obſtinata nequeunt inſtaurari ultrà.

Haud peccatum, quod quidem debuit, deduxit lachymas ab oculis; ſed perſiſtentiam criminis, ob fidem ſummæ pietatis. Ibi adhibet Propheta lachrymarum medicamen, ubi vomicæ imminet altius diſcrimen

ne abutentes divinà miſericordià, homines lutei reputentur incommodè in vaſa teſtea; quæ quidem nequeant inſtaurari, quanvis pungantur cuſpide ſtimulantis conſcientiæ: igitur ſtabunt impœnitentes pertinacià obſtinationis, præconcepto indulto innatæ fragilitatis. Convertit enim Deus hominum corda, ſed nullatenùs ſi invenerit corda ſaxea; & dùm quærit amor homines, occurrant lapides. *Dic ut lapides iſti fiant*: ſi dixeris (ò Domine!) convertentur. Non
Matth. & ſup.
erunt lapides. *Dic.* Quanvis dixerit, nolent. *Dic.* Sæpè vox turturis audita in terra, & aſpidis inſtar obſurdeſcunt corda. *Dic.* Ad quid ergò voces, ſi homines perſiſtunt inſenſibiles, ut lapides? *Dic*: igitur ſi dixeris, erit lapidum converſio. Nonne converſus eſt Latro? In hoc peccator ſceleſte fidis? Si articulum perpenderis; Chriſti ergà Latronem contemplaberis indultum, tibi & alijs documentum.

Perperàm modebitur amor ſi occurrunt lapides, dum quærit homines.

9 Iuſtè namque proprijs flagitijs Latro pœnas luiturus cruce affigitur, cùm Dominus innocens etiam crucifigeretur. Verùm cùm videret tot ſigna in cœlo & in terra, pro iuſto iurè mœrentia, & iniuſtitiam Iudæorum clamantia; in miſerabiliori ſtatu, quanvis & meritò; confeſſus ſcelera, dignuſque iudicatus, pati maiora ſupplicia: arcens à blaſphemijs facinorum comitem, & confitens Crucifixum cunctorum Principem; libello ſupplici vocis, quo cor liqueſcit in ſphæra pectoris, humiliatus & humilis di-
Luc. 23. 42.
xit: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Cùm igitur Deus cor contritum & humiliatum non deſpiciat, imò in opitulationem afflictorum indulgenter occurrat, libellum infallibili verbo ſubſcripſit,
Verſ. 43.
& ſic decrevit: *Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiſo.* Hæc ſunt verba æternæ vitæ. Expandam libenter, ut perpendas conſultè.

Amen dico. Formula iurandi eſt, ut patet Matth. 25. 12. 40. Marc. 10. 15. Luc. 12. 37. Ioann. 1. 51. & pluribus alijs in locis. Chriſtus iurat ſalvationem furis? Sat promiſsio feliciſsimæ ſortis: ſiquidem cœlum & terra tranſibunt, & verbum Domini manet in æternum. Cur igitur gratiam, quam pius elargiturus erat, priùs ſacramento confirmat? Negotium namque exigebat. Mors frequenter reſpondet vitæ anteactæ, &
Iſai 27. 8
media fini. Ideò dicitur *Menſura contra menſuram* ab Evangelico Propheta; quippe mortis bonæ, vel malæ non eſt alia menſura, quàm vita mala, vel bona. Hæc eſt ſanè regula communis, & æquæ lancis: fit æquipondium, cùm progreſſus vitæ & exitus quadrant ad filium: aliàs mors dulcis & vita amara, mors amara & vita dulcis regula patent in regulam, menſura contra menſuram. Mors optabilis, & vita deteſtabilis, quando & ubi ſunt oſculatæ? Chriſtuſque aſtruit iureiurando, quod ſpondet; quia niſi intereſſet firmiſsimum verbum inconcuſſæ veritatis, æſtuare poterat Latro ad promiſſum ſalvationis. Iurat, quippe ni acceſsiſſet gratiæ ſpecialis protectio, quomodò ſalvus fieri quibat, qui tota vità fuit Latro? Iurat, quia niſi iuraret, nemo crederet: iurat, ut Latro promiſsis de ſalvatione non dubitet: iurat, ſi quidem vita corrupta, & mors placida eſt profectò archirologia; monſtrum quoddam impoſsibile, & hactenùs nunquam hominibus demonſtrabile. Iurat, quoniam opus fuit verbi Dei nobilitate pignoris, in fidem tantæ inopinatæ auſpicatiſsimæ ſortis. Iurat denique Latronem iri ſalvatum, ut omnes crederent ſalvationem ut prodigium.

Mors bona & vita mala eſt menſura contra menſuram.

Salvari tota vità iniquè, eſt ſingulare miraculum.

Tibi dico. Tui privilegium eſt, non dabitur alteri. Peſsimè vivere & in Domino mori, ſolummodò contigit ſibi. Non cuivis huiuſmodi dextra ſors, ſed contrarium lata lex. Haud univerſis indultum, ſiquidem *Tibi* ſoli fit miraculum. *Tibi* elargior luculenter gratiam, ſed præcludens alijs impetrè portam. *Tibi* ſoli; igitur licet mihi, quod volo facere. *Tibi* ſoli auſpicium, quod alijs minimè exemplum, ſed in exemplum; igitur decreto quo bearis, excluduntur. Acta probabit exitus: aliàs nullatenùs fuiſſes ſolus.

Non univerſis indultū, uti peccatores creaunt.

10 *Hodie.* O te felicem furem! Arripuiſti crinibus occaſionem. *Hodie*: quippe ſi non hodie, nec indulgerem tibi. Neque in cruce artis tuæ oblivíſceris, & per ipſam confeſſionem regnum prædaris.

Abſtulit iſte ſuis cœlorum regna rapinis. Cecinit Sedulius lib. 5. v. 231. *Hodie*, a feſtivo crucis tormento & gaudio, ſortieris
Sedul.
favorem; quippe totum effundo corporis ſanguinem. Theſaurus opulentiſsimus gratiarum aperitur hodie, cùm exhauſtæ cruore monſtrentur venæ. *Hodie*: feſtivitas patet: venis poſtremus, & coronaris primus. *Hodie*, ſed aliter cras. Non ſic impij non ſic. *Hodie*, quo de inferno nobiliorem reporto triumphum, minimè detruderis in infernum: igitur patior amaritudinem mortis, ut non patiaris. *Hodie* morte vives, qui vivendo moriebaris. *Hodie* ſalvus eris, qui forſitàn non fuiſſes, ſi non hodie. *Hodie*, non cras, quia non pòſt. *Hodie* patent valuæ gratiarum, quoniam reſerabitur oſtium ſacramentorum. *Hodie*: naſciſceris hodie felici-

Semel accidit: & quare?

Virgo Mater peccatorum auſpicatrix.

tatem, cùm habeas Virginem mediatricem. *Hodie*, quia ſepeliendus in inferno ſine huiuſmodi patrocinio : & translatus eſt de morte ad vitam æternam, per Matrem meam, peccatorum auſpicatricem Mariam. *Hodie* deniquè favorem gratiæ tibi commodè expilaſti; ſiquidem opportunè precibus acceſsiſti : & nullatenùs opportunè, ſi non *Hodie*.

Sine Deo non fit ſalvus omnis homo.

Mecum eris in paradiſo. Ubi, quanvis in cruce, niſi in paradiſo, ſi cum Deo? Solatium miſero, & unice auſpicium, ſocium Deum habere pœnarum. *Mecum eris*; quia non eris, dùm non mecum. *Mecum* in bonum te fortuna deducet; igitur qui non colligit mecum, diſpergit. Qui non eſt mecum haud quaquàm ingredietur in paradiſum. *Mecum* ingredieris, quod quidem impoſsibile ſine me. *Mecum* ingrediere, equidem ſine me nihil poteris facere. *Mecum*, quippequàm collatio beatitudinis non volentis, neque currentis, ſed Dei eſt gratiſſimè miſerentis. *Mecum*, qui vectes ferreos confringam, & portam ferream : ac introitus conceſſus Principi, vel indigno nuſquàm denegabitur comiti. *Mecum*, quia portæ clauſæ non ſolùm aperiuntur, ſed elevantur. *Mecum* obtinebis gloriam, qui præceps criminibus vehebaris in flammam: & agnoſces gratiam ſtationis paradiſi, cùm ſine me cruciamina paſſurus eras inferni.

Chriſtus haud ſalvum fecit latronem, niſi pœnitentem & confitentem.

11 Hæccine verba tua. Malitia tua arguat te. His fidis? Salvus eris, hodie ſi vocem Domini expectantis audieris. In ipſis teſtimonijs oſtendes exempla, ut reſipiſcas, & vitam habeas. Haud ſolicites ſacrare ſcelera, & deaurare crimina : igitur nullo modo iudicem Latro inveniſſet miſericordem, dummodò ſe non exhibuiſſet ex animo pœnitentem. Tempus futurum, Dei gratiâ, inexhauſta clementia, & cordis in malum proni obinanis fiducia; ſine pœnitudine, optimè iureque cogitantur nullius momenti. Morieris ipſa vitâ : igitur vera mors eorum, qui habeunt ſine pœnitentia.

DIDASCALIA IV.

Pœna ſibi omnis inordinatus animus.

August.

1 ELoquitur Auguſtinus lib. 1. *Confeſſ.* cap. 12. Per id quod colimus, mortificamur; & adoramus propensè admodùm, quod neſcimus. Ridemus adoratores draconum & aſpidum; & nobis blandiùtur venena intimorum vulnerum. Haudquaquàm ita dolerent vitalia cordis; ni nos haberent toxica aſpidis noxæ, quam adoramus, foventes. *Peccatum meum contra me*, inquit David. Dùm cogitavi propitium, inſurrexit contra me peccatum : igitur gnatam & fotam calore conſenſus lethalem iniquitatem, inveni nonnunquam blandientem ſupplantationem. Per id, quod ſtultè vitam vocamus, in mortem ſcienter & neſcienter incidimus. *Morte morieris*, dicitur Protoplaſto, dùm latæ legis audax committatur tranſgreſsio. Proſcriberis, ſi præſcripſeris: quippe latet mortis pœna, ubi volitat ludibunda omninò vita. Verùm quomodò ſi vivit? Non eſt vita, vivere; ſed valere: & morieris tranſgreſsione, quia mortalis, & quia tranſgrederis. Liquidò exponam. Immortalis factus eſt, ita ut cum iuſtitia originali & procul abſcederet mors. Mors erit in tranſgreſsione, quia prævaricans morieris : & morte morieris, quia peccato morieris vivus; quod utiquè gravius. Nihil magis imminuit vitam, quàm adverſa valetudo, nec valetudinem magis enervat, quàm legum prævaricatio. Unde Horat. lib. 1. *Carm.* *Ode* 3. (& ut placet Lævino Torrent. hic, alluſione flagitij Adami ſub larva Iapeti.) verſ. 32.

Peccatum ſemper contra. — Pſal. 50. — Gen. 2. 17. — *Moritur homo quia mortalis, & quia prævaricator.* — Lævin. Torr. — Horat.

Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætherea domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique priùs tarda neceſsitas
Lethi corripuit gradum.

Mors [illegible]tis eſt vita tormentis infirmitatis, & angoribus febris.

Cohors dicitur febrium turba peccatorum; quia quicquid in homine, inordinato appetitu adverſatur legi; ſe averſatur, & detrahit tranſgreſſoris ſaluti. Haud vivit quod naturaliter vivere poterat, cùm in ipſis ſepeliatur criminibus vita : atque Adamo dicitur *Morte morieris*; non ſolùm quia mortalis, ſed quia vita tabeſcet languore, & deliquio valetudinis. Premet vitam mortalem cohors febrium, corpore curvo pondere infirmitatum; & *Morte morieris*; quia non vivere in vita immortali, quod ritè potuiſſes, eſt proculdubio mors mortis. Antecellit enim mors pallida mortem; dùm valetudo claudicat crebrò per iniquitatem.

Ier. 16. 4.

2 *Mortibus ægrotationum* (alij *Ægrotantium*) *morientur* : ait Ieremias de filijs perditionis, turpiter addictis vitijs. Occurrit proclivè lentæ mortis gravitas; dùm valet, & omninò non prævalet in vitam, ac-

Vita ægrâ valetudine exoſa.

ceſsionis exarcerbitas : ſed haud facilè percipitur qualis mors ægrotantium, vel ægrotationum: quippequàm ægrotatio prævenit mortem, non verò atra mors morientem. Deinde: Nullomodo dicit, *Morte ægrotationum*, ſed *mortibus* : quotuplex mors eſt, ut tot mortibus moriantur? & quomodò ſi ſunt ægroti, iam ut mortui deſcribuntur? An quia peccato vita eſt obnoxia morbis, & cum languoribus & vita gravis? Aliquid contemplatione dignum portendit ſingulare teſtimonium; quo dilucidato (utinam in peccatorum reſipiſcentiam!) clarent plura teſtimonia Tautologiam comitantia.

Valetudo corporis ex animæ valetudine. — Pſalm. 103. 35. — Ier. 18. 21. — Ezech 9. 6. — Pſal 103. 19. — Gen. 25. 8. — Thren. 4. 18. — *Vita valetudine caſſa, mors eſt potiùs dicenda, quàm vita.*

Mortem ægrotantium, mortem intelligo peccatorum : igitur idem eſt peccare in legem, ac amittere corporis, animæque ſalutem. Morientur peccatores : & mortibus ægrotantium, quia ex infirmitate ſpiritus patitur ægritudinem corpus; cum nullo modo detrahantur in lectulum, niſi febri peracuta iniquitatum. Moritur qui vitam amittit : ſed peccator mortibus moritur; quia ægritudine moritur, & morietur. *Deficiunt peccatores à terra, & iniqui, ita ut non ſint.* Ergò aliqui ſunt, & deficiunt. Utique: ſunt in infirmitate, & deficiunt; quia in infirmitate ſunt: vires namque habet mortis, dum trahitur vita gemitibus. *Interficiantur morte*, dicitur ſæpe in Scriptura. Ierem. 18. 21. Apoc. 2. 23. & 6. 8. *Morte*, igitur interficientur; & languoris cruciamine, antequàm moriantur, paulatim interficiuntur. *Interficite uſque ad internecionem*, iubet ira Dei per Ezechielem. Declivè exponitur textus, dum eculeum lectuli patitur improbus: equidem interficitur, & neutiquàm uſque ad internecionem; cùm patiatur adverſam valetudinem. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient.* Hæc eſt mors; ſic enim dicitur de Abraham: *Et deficiens mortuus eſt.* Sed eſt alia peior morte, ubi laborat impius ægritudine gravi : quippe in vita deficit doloribus, priuſquàm moriatur; ac ut plus ſuſtineat, ſpiritus non aufertur. *Completi ſunt dies* iuſtorum, *quia venit finis.* At impiorum venit finis, & non complentur; quoniam impietatis doloribus ante finem ſuffocantur. Sic pati, eſt profectò aliàs: atque aliàs in vita mori, ac vivere tantum ægritudinibus : unde indiſciplinati ægrotantium ſanè moriuntur mortibus : quia morientur, & moriuntur: & ita moriuntur, antequàm moriantur; ut potiùs optent amaritudinem mortis, quàm pati crebrò lentam mortem ægritudinis. Iſthis extremis cruciatibus deſtinantur, quicunque in legem inconſultò delinquunt; igitur cohors febrium, turba infirmitatum, & reliquæ corporis affectionum moleſtiæ emanant crebrò ex animarum lue.

Lapis in titulum ſæpè electorum propoſitũ. — Matth. 9. 2. — *Charitas benigna eſt.* — *Ægra corporis valetudo plerumque ex animi morbo.*

3 Hominem totis membrorum compagibus diſſolutum, Archiatro humani generis offerunt quidam, à languore vindicandum. Offerunt, & inferunt. Propoſitum quorundam Politicorum ſugillatur, qui anniſu ſtimulati factionis, & inhabilem ingerunt in faſtigium dignitatis. Ipſi perciti faſtu, ſi modò nequeunt intrare per oſtium, ſumiſsis tegulis inferent paralyticum per tectum. Hiſp. *Aunque ſalten bardas.* Proh dolor! Plerumquè nanciſcuntur indigni alienis brachijs, quod nec quidem volitavit per eorum phantaſiam cogitationis; ut inſigne ſit authoritatis ſuffragatorum, lapis erectus in glorioſum titulum. Offerunt, & inferunt; at Chriſtus illicò ut vidit laborantem paralyſis penuriâ, dixit illi: *Confide fili, remittuntur tibi peccata.* Filium vocat, quem infeſtum ſceleribus habebat. Charitas benigna eſt: & ut oſtenderet ergà homines nobile obſequium; etiam tantum offenſorem appellat filium. Verùm perpende: *Remittuntur* (inquit) *tibi peccata.* Quorsùm ergò huiuſmodi Chriſti ſententia? Sanitatem corporis efflagitant, & ſoſpitatem è vinclis paralyſis Domini poteſtate ſolicitant; ſiquidem innervis reſolutis gravis inerat pœna: & aptè medicus pro pharmaco apponit, *Remittuntur tibi peccata*; quippe illa, quàm corpus patiebatur, membrorum & nervorum diſſolutio, oriebatur tanquàm è fonte, ſolùm ex animæ morbo.

Chriſtus ibi adhibet beneficium medicaminis, ubi ineſt cauſa laboris.

Autumant plerumquè homines ortum languorum ex corporis conſtitutione, & intemperie aëris : atque Chriſtus remiſsionem peccatorum ſignat in efficax medicamen; ne languidus patiatur amplius & acerbam paralyſim : igitur emanabat ex animæ criminibus, haud ex cauſis naturalibus. Corpus autem quod corrumpitur, aggravat animam; ſed anima corrupta validius aggravat corporis materialem ſtructuram. Ideo Chriſtus quamprimum condonat ſcelera paralytici, ut clareſcat adſtantibus cauſa morbi: igitur dum ſalvus à noxa patet ſpiritus, à paralyſi ſaxò liberabitur corpus.

Ex animæ languore infirmatur corpus.

4 Viſo igitur paralytico; dicit promptè : *Remittuntur tibi peccata* Opportuna laboranti medicina. Haud facilè obtineret optatam ſalutem, dum cauſam haberet morbi intra viſcera latentem : & primodùm animæ peccati remiſsione medetur, poſtque corpus in priſtinam incolumitatem reſtituitur; ſiquidem ex paralyſi ſpiritus gravabatur & corpus. Nihil mirum cœleſtis. Medi-